23,829/A

Gyn Gog

Ad me Baijers.

DE PESTE
TRACTATUS
HISTORICO-MEDICUS



Alma Taurinorum Consolatrix, et Protectrix

I. G. Allet Sculp.

55450

DE PESTE TRACTATUS
HISTORICO-MEDICUS
Latino, ac Italico Idiomate deſcriptus,

QUEM

GLORIOSISSIMÆ
VIRGINI DE CONSOLATIONE
Ægritudinum omnium Medelæ, Auguſtæ
Taurinorum Patronæ,

PETRUS MICHAEL GAGNA
Civis Claraſcenſis,
In prædicta Alma Urbe Phil., & Med. Doct. Col.

SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
MARIÆ CATHARINÆ ESTENSIS,
MARIÆ, ET ISABELLÆ
A SABAUDIA CARINIANI PRINCIPUM
Medicus,

ET

Innominatorum Braydenſis Academiæ Socius, & Cenſor
dictus l'Inaridito

D. D. D.

AUGUSTÆ TAURINORUM 1715.

Apud Jo. Franciſcum Maireſſe, & Joannem Radix
ejuſdem Illuſtriſs. Academiæ Typographos
ſub Signo S. Thereſiæ. *Sup. permiſſu.*

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

GLORIOSISSIMÆ VIRGINI CONSOLATRICI

PETRUS MICHAEL GAGNA,

addictiſſimus Clientulus.

IUſtitiæ, & Neceſſitatis, non Officij tantùm, & Obſequij eſt, quod tibi, qualeſcumque lucubrationes haſce meas conſecrem, AUGUSTISSIMA CONSOLATRIX VIRGO, quam Divinam propè, ni vetes ipſa, dixerim: Divinitatis nimirùm, quantumcumque Hominum conditio patitur habes Tù, quam DEUS ipſe Parentem agnoſcit. Quod Juſtitiæ nomine, has tibi debeam, efficit, non illud tan-

tùm, quod Te potiſſimùm Auſpice manum iis admoverim, verùm etiam, quòd meæ ſint, Clientuli videlicet Tui, qui plurimis Nominibus Tuus eſt totus; quamquam quo jure meas dixerim, in quibus meum id unum eſt, quod tenue opus ſint, & exiguum? ſi quid enim habent, quod ad publicam utilitatem conferre valeat, à Te unâ habent. Neceſſitatis quod ſit, effecit earum materies: quotâ enim ſui parte deficerent, niſi in præfixo Tui nomine, Patrocinij, tui certa monumenta præſeferrent, & pignus? Naturam expendunt, & remedia morbi, cujus cauſas Hippocrates etiam meus ad Superum non minùs iram, quàm ad infenſas ſyderum vires, aut veneficos Aeris afflatus refert, quem propterea omni artis conatu majorem fatetur, niſi Divina illa ſit, & è Cælo petita. Quid ni itaque imperfectum opus eſſet, niſi omnibus ſignificarem exemplo, quorſum primò convertenda ſint vota, ad potentiſſimam opem ærumnis implorandam? TU ſcilicet Divinæ Omnipotentiæ Arbitra, eam

quo-

quoquolibet flectis, & flectere in ſupplicum Vota numquam negas; neque enim veró fruſtrâ, & inanibus titulis Chriſtianus Orbis AFFLICTORUM CONSOLATRICEM, INFIRMORUMQUE SALUTEM invocat. Hac Tibi potiſſimum mente (fateor enim) opus meum obtuli, quam mentem indidere mihi communia omnium ſtudia, atque in primis AUGUSTÆ *hujus* URBIS, *cujus* DYNASTÆ *ac* PATRES, *in ſæva, quæ Hominibus inſtare videtur, quamvis Armenta nunc tantùm vaſtet, lue, minimum publicæ utilitati, ac incolumitati a ſe conſultum cenſuerunt, niſi ex Arâ tuâ (eorum enim conſilia movere pietas ſolet) ex Arâ, inquam, unde CONSOLATRICIS titulo Ægris omnibus, Miſeriſque præes, Providentiæ ſuæ exordia duxiſſent. Indidére eam mentem finitimæ latè Gentes, quibus affulſit ſpes avertendæ è ſtabulis ſuis diræ contagis. At verò altioribus adhuc cauſis mentem hanc omnem tribuere juvat. AUGUSTISSIMUM ipſum,*

MAXIMUMQUE noſtrum RE-GEM, *qui Tibi* VIRGO *Victorias, Triumphos, Regnorum incrementa, & adeptionem ultrò, palamque refert, hujus conſilij mei Auctorem agnoſco, ipſum inquam, qui frequens adeò Aris tuis venerabundus aſſiſtit, exemploque ſuo docet, quò magis inter diſcrimina confugiendum. Hęc in causâ fuere* GLORIOSISSIMA VIRGO, *cur tibi labores, Opuſque meum, tenuiſſimum licèt, offerrem, cui ſi unum hoc liceat impetrare, ut ad Te eos, in quorum manus venerit, aliquando confugere ſuadeat, magnam votorum ſuorum, jam partem obtinuit, nihilque ambigit, quin in Commune bonum, & Subalpinæ in primis Gentis utilitatem prodeat.* SALVE, *mihique jugiter, & Parentibus meis* PATROCINARE.

BENEVOLO LECTORI.

EPidemicę Armentorum luis, quam Europâ latè, & Subalpinis potiſſimum Regionibus, nuper graſſari ſenſimus, diras ſtrages mihi identidem conſideranti, in votis fuit occultas ſcrutari cauſas, ac deprehēdere AMICE LECTOR. Morbi itaque naturam, exordia, & incrementa attentè expendere, celeberrimos quoſque Auctores conſulere, aliorum hac ſuper re varias ſententias cum meâ conferre, ac componere, & quidquid ad mentem aſſequendam hanc meam conducere poſſet non prætermiſi; & ne Operæ pars ulla deeſſet Hiſtoriam eam accuratiùs evolvi, cui nuper à Reverendiſſimo Patre Borromeo è Sacrâ Theatinorum Familiâ editæ, eruditiſſima acceſſit, doctiſſimaque reſponſio D. Lanciſii Clem. XI. Pont.

Max.

Max. Archiatri. Hæc igitur dum ſeriò agitarem, illud intellexi, quod me plurimum perculit, à vitioſo nempè cæterorum Animantium, Boumque potiſſimo morbo, Hominum Epidemiæ ſæpè proludi; quamobrem hæc ſubiit Animum Sententia Univerſum Peſtis Tractatum, quem tibi offerrem, compingere. Inauſpicatum quod innuebam omen, Superi avertant (quod avertere pro viribus curant in opus ſedulò incumbentes AUGUSTÆ hujus URBIS MAGISTRATUS, ac PATRES, AUGUSTISSIMI REGIS noſtri ſtudiis impulſi.) Attamen, quem fugiat, diram hanc vim veneniferis auris ineſſe, ut occultæ irrepant, & peregrino è Cælo, diſſitas licèt, & innocuas Regiones, miſerrimè quandoque occupent? Nolim itaque graveris, quod infelicem laboribus meis materiem aſſignaverim, quæ non prorsùs inutilis tibi contingere poteſt. Paucis feralis morbi tibi remedia exhibeo, celebratiſſimis undequaque Auctoribus eruta, & abundè adeò ex iis deducta, ut meum eſſe

opus,

opus, hoc illud tantùm perſuadeat, quod exile ſit, & imperfectum. E Medicis non pauci Operam hùc pridem, laboreſque ſuos converterunt, imò & è Pedemontanis Scriptoribus etiã nonnulli, inter quos Bucium hìc tantùm, & Fiochettum nomino: Actum jam itaque agere fortaſſis videar, & ipſe ego à conſilio idcircò meo ultrò deſtitiſſem; at ut perſequerer, movit me, quod ex horum libris, vix jam ulli ſuperſint, & circumferantur; Alii verò magnâ voluminum mole, Egregia Opera ſua, non omnium idcircò terenda manibus, penè dixerim oppreſſerint; Adde, quod non doctis tantùm Viris, qui adire illa facilè poſſint, mens eſt prçſcribere, hos enim, quibus Patria noſtra redundat, Inſtitutorum loco, facilè habuerim. Illos opuſculo meo convenio, qui funeſtis temporibus in ſuburbanas, diſcretaſque Urbium frequentiâ Ædes ſeſe recipere, & opportunâ tunc maximè ſolitudinę uti velint. Pauca, at ſelectiſſima ea, & experientiâ Medicorum magiſtrâ comprobata, remedia innuo. Nihil

hil

hil de Politicâ (quod alii fusè) administratione, ac ne verbum quidem protuli, dementis enim eſſet ſtimulos volanti addere, facem prẹferre Soli. Intra Inſtituti mei me limites contineo. Medicis tantùm lucubrationibus nonnullas Peſtium Hiſtorias adnectere viſum fuit, quo gravis lectionis Curas tibi aliquantiſper relaxarem. Remediorum vim, & ſeriem Vernaculo exhibere idiomate, ut rudibus etiam præſtò eſſem, non dubitavi. Hilari, qualecumque donum hoc, non Cynicâ fronte excipe; Pars hæc potiſſima erit premii, quod labores mei à te expectant, nec tuæ exiguum pignus Benevolentiæ. Vale,

DOMINUS

PETRUS MICHAEL GAGNA
Medicus Collegiatus.

ANAGRAMA LITTERALE PURISSIMUM.

Cum gemina gloria de te, doces hic multas luis pugnas

EPIGRAMMA

NUnc certò *de Te geminatur gloria*; Scriptis
 Nam *multas pugnas* Tu *luis* hiſce *doces*.
Inſtruis ad pugnam, pugnans ut quiſque triumphet,
 Longior hinc aliis Vita, tibique decor.

Aliud
ANAGRAMA ITEM PURISSIMUM

Hinc ſalus. Piè Doctus detegis cum magna gloria luem.

EPIGRAMMA.

GAGNA *piè Doctus Peſtem* nunc *detegit Orbi*,
 Applicat & tantò Pharmaca digna malo.
Illi *hinc gloria magna*; *ſalus* nobiſque redundat,
 Nec poterat melius ferre Galenus opem.
Ex hac doctrina ſumet ſibi quiſque medelam,
 Et ſolus Criticus contrahet ore *luem*.

ſic plaudebat
Fr. Petrus Paulus Quaglinus Ord. S. Auguſt.
Regiæ Urbis Taurini Bibliothecarius.

AD AUCTOREM

qui Opus ſuum

VIRGINI CONSOLATRICI

dicavit

EPIGRAMMA.

CÆcà Ariadna vià filo cùm duxit Amantem,
Invictâ valuit ſternere monſtra manu.
Nunc ego de te GAGNA loquor, jam fabula ceſſat:
VIRGO tibi filum, non Ariadna, dedit.
VIRGINIS auſpicio doctâ tibi mente reperta eſt,
Qua mortem fallas, effugiaſque, via.
Non ſinat hinc, noſtrum quam nunc tranſmittis in ævum
Victricem lethi, te Medicina mori.

Hyacintus Torriglia
J. V. D. Col.

Ad præclariſsimum Dominum

CLAUDIUM GAGNA

Prædictarum
CELSITUDINUM A CARINIANO,
Et Sereniſſimi Principis
THOMÆ A SABAUDIA
Primarium Medicum, Ejuſd. Auctoris Patrem.

ELOGIUM.

Percrebeſcente in dies Peſtifera Lue,
Et pari Armentorũ damno, ac Hominũ metu
Italiam devaſtante,
Ad tanti morbi precavenda, & curanda
pericula,
Eruditiſſimam exhibet methodum
PETRUS MICHAEL GAGNA,
Tuus æquè Filius, & Aſſecla.
Habent hæ Paginæ
Quo Animum terreant ferale argumentum:
Quo Ingenium alliciant
Amœniſſimum Hiſtoriarum ſtylum.
Quibus morbum expellant
Probatiſſima Medicinæ præſidia.
Mirare igitur
Quantùm exiguo in Opere eluceſcant
Subtilitas, Eruditio, ac Medicæ Facultatis
Peritia,
Quibus preſtantiſsimus Auctor
Optimas Doctrinæ tuæ ſemitas jam æquavit,
Et inclytæ Virtutis Tuæ Bravio,
Hæres ſimul, & Æmulus
In tot Scientiarum Paleſtra
Decoratur.

Idem H. T. J. U. D. C.

APPROBATIONES.

NOs infraſcripti Phyſici, ac Cenſores juſſu Illuſtriſs. Ab. BARTOLOMEI REVIGLII, ex Comitibus Lezuli, Braydenſis Innominatorum Academiæ Principis dicti *l'Eſtraneo*, attentè perlegimus librum, cui titulus *De Peſte Tractatus Hiſtorico-Medicus &c.* à PETRO MICHAELE GAGNA Sereniſſimarum Principum Cariniani Medico, ac Innominatorum Cenſore dicto *l'Inaridito* compoſitum, eumdemque ſub titulo Auctoris Academico typis mandari poſſe cenſemus, ſi ità iis ad quos &c.

Phyſicus Paulus Jo. Antonius Saracenus Cenſor, dictus *l'Oſcuro*.

Phyſicus Gabriel Hyacintus Niger Cenſor, dictus *il Diſtrutto*.

Attenta premiſſa Phyſicorum, & Cenſorum approbatione permittitur imprimi ſervatis ſervandis. Brayd. die 15. Decemb. 1714.

Reviglius dictus *l'Eſtraneo* Princeps

Locus ✱ Sigilli

Zorgnotus dictus *il Sottomeſſo* à Secret.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Vicarij Generalis Sanctiſs. Inquiſitionis, accuratè perlegi Librum, cujus titulus eſt *De Peſte Tractatus Hiſtorico-Medicus* à D. PETRO MICHAELE GAGNA Phil. & Med. Doct. Col., & prædictarum Sereniſs. Celſitudinum Medico, *Latino, & Italico Idiomate* deſcriptũ, Opus Theoricopracticum, Antiquorum, & Recentiorum Auctoritatibus non tantùm munitum, verùm etiam eruditiſſimo, & elegantiſſimo ſtylo, ſolidiſque fundamentis firmatũ, atque exornatum, in quo tutam, faciliorem que ad tanti morbi præſervationem, extirpationem, & curam, neceſſariam exhibet Methodum, & cùm nihil in eo animadverterim, quod Catholicæ Fidei, Regiæ Juriſdictioni, optimiſque moribus obſit, hinc pro publica utilitate tam ex Tractatus qualitate, quam ex Operis ſtructura typis mandari poſſe omni jure cenſeo. Dat. Taurini die 22. menſis Decembris anno 1714.

Jacobus Mauritius Torriglia, Primarius in Alma Taurinenſi Univerſitate Profeſſor, & Sereniſs. Principis Eugenii à Sabaudia Medicus.

Imprimatur,
Fr. JO. ALBERTUS ALFERIUS
Magiſt. Vic. Gen. S. Officij Taurini.

ERRATA.		CORRIGE.
Pluribus in locis.	Diamarbroec	Diemerbroeck
	meaſma	miaſma
	exantemata	exanthemata
	muſc.	moſc.
pag.	3. *lin.ult.* ipſomet	ipſimet
	6. 18. perſcrutare	perſcrutari
	14. 25. febre corripiantur	febre non corripiantur.
	34. 14. per hæc enim,	per has enim
	47. 9. & annonæ, quibus	& annonæ caritatis, quibus
	56. 4. *p. m.* 492.	*p. m.* 942.
	66. 6. ferè totus orbatus	ferè totum orbatum
	76. 11. propagatus	propagatum
	97. 12. reduci	reducit
	165. 15. rariorem	rationem
	312. 15. *Bezoart. unc j.*	*Bezoart. ad unc. j.*

Et ſi nonnulla alia quamvis minoris momenti occurrent, Lectoris benevolentiæ remittuntur.

INDEX

Capitum, & Rerum notabilium.

PARS PRIMA.

CAput Proemiale.
Peſtis Flagellum Dei. pagina 3
Dicitur Divinus Morbus. 5. 9
Cap. II. *Quid ſit Peſtis, & ejus definitio.*
Peſtis nomen omnibus ſceleſtis hominibus, & operibus convenit. 7
A Peſte facilè decipiũtur Medici. 10
Peſtis unam tantùm domum ſæpè occupat. 11. 13.
Confutantur varię Definitiones. 12 14. 15
Peſtis vera Deffinitio. 16
Eſt Morbus { *Communiſſimus.* 17
Peracutiſſimus. 19
Perniciosiſſimus. 21
Contagioſiſſimus. 27 }
Variæ peſtium Hiſtoriæ. 22

An cum peſte conjungatur Contagium. 27
Quomodo differt a Contagio. 30. 81
Peſtis ut plurimum aliunde propagatur. 32
Quomodo propagetur. 34. 38. 39
Venenum cur, & quando latet. 36
Peſtis artificialis quænam ſit. 37
Quid ſit, & quomodo differat Peſtilens, Putridum, & Cõtagioſum. 40
Scabies, & lues gallica præſervant a peſte. 41
Cap. III. *De ſignis peſtem præſagientibus.* 43
Et primò è Cœlo. *ibid.*
Quænam ſint maligni Syderum aſpectus. 44. 96
Eclipſes, & Cometæ ſigna peſtis probantur Hiſtoriis. 46
Secunda ſigna ex aeris temporum, & Tempeſtatum mutatione. 49
Utrum peſtis proprium ſit tempus. 57
Terræmotus, & fulgura ſigna peſtis. 59. 89
Ranarum, Muſcarum, & Locuſtarum copia peſtis ſignum. 61

Fa-

Fames, & Penuria peſtis ſignum. 62. 108
Fertilitas itidem ſignum. 63. 110
Animantium mors peſtis ſignum. 65
An ex Boum Epidemiâ timenda ſit peſtis. 67
Cap.IV. *De cauſis peſtem conſtituentibus.* 80
Peſtis ab Aeris vitio fit. 81. 103
Utrum aer putreſcat, & qualis. 83
Ex quot Cauſis aer alteratur. 85
1. *Ex inſepultis Cadaveribus.* 85
2. *A fœtidis, & immotis aquis.* 88
3. *Ex Terræmotu.* 89
Aer non inficitur ſecundum ſuam ſubſtantiam. 92
Quomodo Aer alteratur. 94
Vtrũ peſtis a malignis Syderibus oriri poſſit. 96
Quænam ſint Cauſę generantes, quę propagantes. 97
Quodnam Vitium requiritur in Aere, ut peſtis oriatur. 98
Qualitatum exceſſus an præparantes cauſæ ſint, an efficientes. 99
In aere pro peſte quid occultum re-

qui-

quiritur. 101
Peſtis à malo victu. 105
Peſtis poſt famem 108
Peſtis poſt fertilitatem 110
In peſte neceſſaria eſt Corporum diſpoſitio. 111. 114
In quo hæc conſiſtat. 112. 115
Quid coadjuvet Corporum diſpoſitionem. 119

Variæ Sententiæ de peſtis Cauſis.
- *Mercati.* 93
- *Sennerti.* 96
- *Diemerbroeck.* 120
- *Helmontij.* 123
- *Wiliſij.* 124
- *Sylvij.* 125
- *Carteſij.* 126

Cap.V. *De peſtis Symptomatibus.* 128
1. *Communis plurimorum interitus.* 129
2. *Virium jactura.* ibid.
3. *Pulſuum qualitas, & diverſitas.* 130
4. *Exanthemata, & Maculæ.* 132. 138
5. *Carbunculi, & eorum cauſæ.* 133

Signa peſtilentis Carbunculi. 137

6.Bu-

6. *Bubones eorum ſigna, & cauſæ.* 139
7. *Urinarum qualitas, & diverſitas.* 142
8. *Capitis morbi.* 145
9. *Ventriculi ſymptomata.* 147
10. *Alvi copioſus fluxus, & qualitas.* 148

PARS SECUNDA.

CAP. I. *De peſtis præſervatione.* 157
Cur hæc difficilis ſit. 159. 209
In quo iſta conſiſtat. 160
Ad Deum confugiendum pro peſtis præſervatione, ut fide Gentilium, & Turcarum exemplis probatur. 160
Cap. II. *De aeris regimine, & qualitate pro peſtis præſervatione.* 167
Quid ſpectandum ſit in fuga a ſuſpecto loco. 168
Qualis aer ſit eligendus. 169
Aer cur, & quomodo ſit depurandus. 171
Suffumigia, & eorum rationes. 172

Cur

Cur fœtidi odores peſſimi ſint in peſte. 178

Cubicula qualia eſſe debeant in peſte. 181

Cap. III. De Cibo, & Potu tempore peſtis. 183

Herbæ, & legumina damnantur in peſte. 185

Qualis debeat eſſe Panis, quales Carnes. 187

Aceti neceſſitas, & utilitas. 189. 239

Utrùm Piſces comedendi ſint tempore peſtis. ibid.

Ova, & Lacticinia. 190

Vinum quale eſſe debeat. 192

Qualis aqua. 194

Cap. IV. De reliquis ſex rebus non naturalibus. 196

De Somno. ibid.

Vigiliis. 197

Motu, & quiete. 198

Excretis, & retentis. 200

Veneris uſu. 201

Animi pathematibus. 203

Terrore, & metu. 204

Triſti imaginatione peſtis tempore peſſi-

peſſimâ. 205
Muſicâ tempore peſtis. 206
Veſtium Cautelâ & qualitate. 206
Cap.V. *De internis præſervativis remediis.* 209
Quid in remediorum uſu obſervandum. 210
Indicationes remediorum. 213
Qualia eſſe debeant remedia. 215
Pilularum præſervantium deſcriptiones. 216. 17. 18
Alia purgantium genera. 218
Pulveres præſervantes. 220
Tabellæ, & Electuarium pro Pauperibus. 221
Alia remedia pro eiſdem. 222
Aquæ Theriacalis, & Vini medicati deſcriptio. 224
Theriacæ elogia. 225
Mitridatii, & Diaſcordii. 227
Cap.VI. *De externis præſervativis remediis.* 230
Cur fidendum non ſit in Amuletis ex Venenatis Animantibus confectis. 231
Arſenicum Criſtalinum collo alligatum.

tum. 233
Sacculi ex herbis cardiacis, & odoroſis. 235
Cordis, & Narium linimenta. 237
Cordis Epythemata, & Poma odoroſa. 240
Cap.VII. *De præſervativis Chirurgicis remediis.* 242
Non convenit ſanguinis miſſio. ibid.
Neque Cucurbitulæ. 244
Cauteriorum ſumma neceſſitas, & utilitas. 244

PARS TERTIA.

CAP. I. *De indicationibus, & Curatione peſtis in genere.* 249.253
Verum peſtis remedium eſt ignotum. 251.
Signa Coaguli. 253
Signa diſſolutionis. 254
Cap. II. *Utrum in peſte conveniat ſanguinis miſſio.* 256
Negatur ratione ibib.
Negatur auctoritatibus, & experiẽtiâ. 263
Quando inſtitui poterit. 268

Cap.

Cap. III. *De Cucurbitularum, & Veſicantium uſu.* 275
Utrum Cucurbitulæ ſcarificatæ conveniant. 276
Utrum affigenda ſint Veſicătia. 281
Cap. IV. *De Purgatione tempore peſtis* 283.
Negatur ratione, auctoritatibus, & experientiâ. 284. & *ſeq.*
Cap. V. *De legitima peſtis Curatione.* 295.
Sudorifica quam maximè neceſſaria. *ibid.*
Non autem ſi Veneni qualitas diſſolvens ſit. 299
Adſtringentia remedia. *ibid.*
Boli Armeni efficacia. 300
Pulveres adſtringentes. 301
Theriaca recens optima. 303
Ordo, & menſura Antidotorum. *ibid.*
Remedia pro coagulatione. 305
Diaforetica neceſſaria. *ibid.*
Bezoartici lapidis efficacia. 309
Alii ſudorifici pulveres. 311
Sudorifica pro Pauperibus. 313

Cautelæ in ſudore. 315

Aqua Theriacalis , Camphora , & ſpir. Camph. 318

Sulphur , ol. Vitriol. & Elixir propr. &c. 319

Cap. VI. *De Carbunculorum curatione* 321.

Cap, VII. *De Bubonum curatione.* 332

Cap. VIII. *Utrum febris de peſtis eſſentia ſit , vel ſymptoma , & de ejuſdem curatione.* 343

Cap. IX. *De reliquorum ſymptomatum curatione.* 349

De Cutaneis maculis. 350

De Capitis Dolore , Delirio,Vigiliis, & Sopore. 351

De Syncope , & Deliquiis. 354

De Vomitu , Singultu, & Inappetentia. 355

De Alvi profluvio. 357

De Narium, & Uteri Hemorrhagiis 359.

FINIS.

DE PESTE
TRACTATUS
HISTORICO-MEDICUS.
Pars Prima,

In quâ

Peſtis Etymologia, Definitio, Signa, Cauſæ, & Simptomata exponuntur.

Munitio tunc malè quæritur, cùm neceſſaria judicatur; & prudentiæ eſt cavere, quæ non putantur emergere.

Caſſiod. lib. 3. var. Ep. 48.

CAPUT PRIMUM

PROEMIALE.

De Peste, acutiſſimo ſcilicet morbi genere peracturus, maximum DEI Opt. Auxilium juſtiſſimè expetendum opinor, dum in Peſtilenti qualibet Conſtitutione ſceleſtiſſimam criminum indolem, ſummamque Æterni Judicis vindictam quiſquis veneratur, idque non minùs, ac tempore Moyſes apud Ægyptiacos anno poſt Diluvium 827., uti narratur in *Exod. cap.* 9. *verſ.* 13. his verbis: *factaque ſunt ulcera veſicarum turgeſcentium in Hominibus, & Jumentis, mox ſecuta Primogenitorum Peſtis ſæviſſima*; & anno 1282. poſt Diluvium ipſomet Regi David ob in- *Peſtis flagellum Dei.*

conſultam Populum numerantis temeritatem, ut ex *lib.* 2. *Reg. cap.* 24. innoteſcit, quod ab ipſomet DEI Oraculo confirmatur, dum ſe *Peſtis*, *Belli*, *&* *Famis* auctorem profitetur apud Jerem. *cap.* 29. *verſ.* 17. 18. his verbis: *Ecce mittam in eos famem, gladium, & peſtem. Et perſequar eos in fame, gladio, & peſte;* & apud Ezechiel *cap.* 5. *verſic.* 2. *Non parcet oculus meus, & non miſerebor, tertia pars tui Peſte morietur.* Hanc autem à Supremo Clementiſſimo Numine, ad criminum expiationem, Animæque medelam immitti præter Orthodoxæ Fidei lumen, evidens eſt ex D. Ambroſio *Com. lib.* 6. *in evang. Luc. cap.* 19., dicens, *immittit Dominus febrem, & tremorem, & malos ſpiritus, & cæcitatem, & omnia flagella juxtà merita Peccatorum, & mittit Deus peſtilentiam Hominibus peccantibus, quia potiùs ſagax eſt de animâ, quàm de corpore, ut illâ mediante, iterùm convertatur ad ipſum Creatorem;* unde nil mirum ſi à Joan. Franc. Ripa Juriſconſ. celeber. *in tract.*

de

de Peſte pag. 37. clarè aſſeratur, quod Peſtis ſit *Bellum DEI, cui humanæ vires nequeunt reſiſtere*, quod non tantùm veri Dei Cultores, ſed ipſimet Idolorum Sectatores profeſſi ſunt, unde Homerus *pr. Illiad. in bello Troiano* ob Sacerdotis ſtupratam Filiam ab Apolline Grę corum exercitui immiſſam fuiſſe Peſtem deſcribit. Ità Plinius *lib.* 7. *cap.* 28. ob demiſſum è Capitolio Manlium, à Capitolinis irritatis Numinibus ſævâ peſte Romanos afflictos fuiſſe teſtatur; imò Hippocrates Peſtem *Numinis iram continere* docet, & in peſtiferis conſtitutionibus à Diis remediorum robur expetendum conſulebat; unde Galenus in *lib. de propr. libert.* ſe Eſculapio ob Peſtis prę ſervationem voviſſe profitetur. *Eſt bellum Dei.*

A nonnullis *Divinus morbus* dicitur, tùm quia quid *occultum*, & *ignotum* in ſe continet, tùm quia juſtiſſimum DEI flagellum appellatur. *Divìnus morbus*

Prę ſtantiſſimus Diamarbroec, in aureo ſuo Peſtis Tractatu, à DEO illam proficiſci deſcribit, quare jure me-

ritò à DEO medela poſtulanda, ut ab eodem Benignitatis fonte, ex quo ſalutaris ſcelerum in hac vitâ expiatio promovetur, idonea Alexipharmacorum vis, & præſtantia exhauriatur.

Singulos autem morbos, quamvis à DEO prodire fateamur, naturales tamen, ut plurimùm cauſas illi agnoſcunt; & ſicuti ad DEUM eas reducere Orthodoxæ Fidei eſt ſpecimen, ità naturales eorumdem cauſas inveſtigando, ad occultas omnimodè, nec perceptibiles rerum qualitates referre, ſępè ignorantis eſt, non confitentis.

Quoniam ergò noſtrum non eſt, abdita DIVINÆ JUSTITIÆ, in Peſte in Homines tranſmittendâ, arcana perſcrutare, hinc tantę luis naturales cauſas indagare nobis ſufficiat; quamquàm ſanioris mentis conſilio ad noſmet ipſos ſingulæ referri debeant; ut mirabiliter ad Fidelium illuſtrandam cęcitatem, omni divino lumine deſtitutus ait Cicero, *tàm deteſtabilis Peſtis nulla eſt, quæ non Homini ab Homine naſcatur.*

CA-

CAPUT II.

Quid ſit Peſtis, & ejuſdem definitio.

SIcuti Definitio juxtà Ciceronem, nil aliud eſt, quàm abditarum rerum eſſentiæ, & qualitatum patefactio, ut confirmat Galenus 4. *de differ. pulſ. cap.* 2., & in lib. *de morb. differ.* & Ariſtoteles 6. *Metaph. cap.* 2. hinc antequam ad ulteriorem Peſtis malitiam exponendam deſcendam, veram ejuſdem ethymologiam, ac definitionẽ perquiram.

PESTIS, nomen adeò nequiſſimum eſt, ac malignum, ut ſceleſtis quibuſdam Hominibus, & operibus jure meritò à nonnullis applicetur, ut Seneca, qui *peſtilentiæ* nomine *Invidiam* appellat, & ipſemet Oratorum Princeps, *Catilinam Reipublicæ Peſtem, malos Conſules Imperii Peſtes, & auri cupiditatem Peſtem* denominat. Ità Plautus in *Pſeud. act.* 1. *ſcena* 2. de peſſimo *Peſtis, nomen ſceleſtis operibus, & hominibus confert.*

Ballione diſſerens, ait, *quis omnes unâ peſte hac, Populum hunc liberet?* Et Virgilius *Æneid. lib.* 3. de Polyphemo, *Dij talem avertite Peſtem*; imò Torq. Taſſus de Armidâ ſe occidere volente, in *cant. ult. ſtanz.* 126. ait:

Felice me, ſe nel morir, non reco
Queſta mia peſte ad infettar l'Inferno.

Ità Virgil. 4. *Æn.* Junonis amorem cum Jove *peſtem* appellat his verbis:

Quā ſimul, ac tali pręſentit peſte teneri
Cara Jovis Conjux....

Quare, & unde dicitur Peſtis.

Verùm ad medicam tanti morbi denominationem deveniendo, *Peſtis* à *depaſcendo* appellatur, quare *Gal. de Ther. ad Piſon cap.* 14. *p. mihi* 168. ait, *peſtis veluti Fera quædam venenata non paucos aliquos miſerè perdit, ſed totas Civitates depopulatur.*

Quercetanus peſtem definit, quod ſit *morbus epidimicus, contagioſus, & venenatus, qui omnes quidem in genere corporis ſpiritus, in primis arcem vitæ cum dependentibus ſpiritibus aggreditur.*

Ab aliis, *Veneni* ſub nomine explicatur

catur, quod *citò, & violenter* Homines interimit, & facilè de uno in alium communicatur.

Diemerbroeck peſtis eſſentiam explicat quadruplici ratione, quâ à DEO provenire, ut ſuperiùs innui, probare intendit. *Cur Divinus dicitur morbus.*

1. Ex *morbi magnitudine*, ac *pernicie*, quæ talis, & tanta eſt, ut à nullâ ſublunarium corporum impuritate, corruptione, ac peſſimâ permixtione effici poteſt.

2. Ex *pravo effectu*, qui adeò infenſiſſimus eſt, ut ſæpè ſæpiùs eodem ferè momento, quos corripit, interficiat, quod à naturalibus nullis cauſis contingit, tempore enim egent, ut quælibet cauſa ſuos edat effectus.

3. Ex *Veneni contagioſi magnitudine*, quæ nullo naturaliter producto contagio æquari poteſt, nedum evinci.

4. Ex *facili* ejuſdem *cõmunicatione*, ſingulas enim Ætates, Sexus, Regiones, Tempeſtates, & Anni tempora corripit, quod nulli alio naturali morbo competere aſſeri poteſt.

Gale-

Galenus 3. *Epidem. ſect. 3. com.* 20. eam laconicè dicit, *morbus vulgaris multos perimens*, unde advertendum eſt, Galenum non aſſerere *ex quo major pars neceſſariò perit*, ſed ſolùm ait, *multos perimens:* neceſſarium enim non eſt, ut ſinguli correpti pereant, ſufficit autem, quod multos interficiat, ut mirificè probat Zacutus *Tom* 1. *de Med. princip. Hiſt. lib.* 2. *hiſt.* 89. *dub.* 52. *pag. mihi* 338.

Verùm antequam ulteriùs progrediar, liceat mihi breviter addere, quod ſi Medici plures Ægros, eodem morbo correptos, *citò*, & *violenter*, eâdem præcipuè domo mori inſpiciant, de peſtilenti, & contagioſâ aliquâ cauſâ ſanè pertimendum, nec ſe ipſos decipiant; neque Populos, ſed de maximo inchoantis morbi, & mortis ſpeciei periculo admonendi ſunt, ne gravior ille vigeat; & uberior propagetur Peſtis, quod non rarò ex inconſulto Medicorum ſilentio produci poterit, ut ſanè Tridenti; Patavii; Mantuę, Mediolani, Hipporedię, & præcipuè Venetiis anno 1576. cùm

ſcili-

ſcilicet ob Medicorum ignaviam, indè ob acerrimas, *an vera eſſet peſtis*, eorumdem diſceptationes, tam profundas jecit radices, ut eaſdem evellere, & diuturnum fuerit, & exitiale.

Notandum tamen hìc eſt, quod ex plurimorum Veterum monumentis, ſępè ſępiùs unam tantùm Domum peſte correptam fuiſſe totâ illæſâ Urbe deſcribitur. Ità Follinus in *Amuleto cap.* 19. ex pravorum ſimptomatum catenâ in cujuſdam Civis Domicilio, ſe peſtem, ex quâ Mater, & Pater-familias ſubrepti fuerant, detexiſſe fatetur, nulliſque apparentibus Bubonibus, Carbunculis, aut Exantematibus, alijſque Peſtis communioribus ſignis, neque ulteriùs per Urbẽ tali peſtilenti contagio graſſante. *Unam ſolam domum ſæpe occupat.*

Jobertus anno 1574. peſtem ſolam Domum Judicis occupaſſe, & dimidiam ejuſdem familiam enecaſſe teſtatur.

Matthias Untzerius *lib.* 1. *de peſte c.* 1. ſe ocularem teſtem fatetur, tum Halæ Saxonum, cùm alibi interdum unam, alteramve Domũ contagioſâ peſte correptam vidiſſe, reliquâ Urbe omnimodè inta-

intactâ, imò celebratiſſima eſt hiſtoria à præclariſſimo Diamarbroec de peſte anni 1661. relata, in qua totam nobiliſſimam familiam in medio urbis ſitam extinctam vidiſſe fatetur, quin aliquid reliquis proximioribus Civibus communicaretur, & ideò peſte eoſdem interemptos fuiſſe agnovit, quod Filiolum, Ancillam, indè Famulum, & ſic de reliquis ſingulos eiſdem communioribus peſtis ſimptomatibus corripi, & brevi interimi obſervavit, quod licèt rariſſimum penè ſit, Galeni tamen effatum ſatis comprobat, quod peſtis ſcilicet *non omnes perdat, ſed multos*, ſufficit enim quod ſi corripiat, perdere poſſit.

Confutatur Mercurialis definitio

Hinc eſt, quod à ſingulis tùm Antiquis, tùm Recentioribus Mercurialis oppugnatur ſententia, dum quando pauci in die moriuntur, non peſtem, ſed peſtis initium appellat his verbis: *non poſſum exiſtimare, Auditores, appellandam eſſe eam peſtem, in quâ vix duo, aut tres peribant unicâ die, erant enim fortaſſe initia peſtis, ſed non erat peſtis*, cujus ſententiæ falſitas per hoc inno-

innoteſcere ſatis conſtat ex anteriùs relatis, nempè ex Galeni definitione, & Zacuti auctoritate, ex quibus in peſte quamplurimos, imò ferè ſingulos perimi non requiritur, ſed eos tantùm, quos invadit, neque ſemper ex his ſingulos *interfici* neceſſarium eſt, ſed tantùm *poſſe interfici*, quare ſi duo, vel tres pereunt, cur peſtis non erit dicenda? Dummodò ea ſingula concomitentur, quę ad eamdem conſtituendam, inferiùs proferam, ſed ſolùm peſtis initium, quod ſemper erit peſtis, eodem ferè pacto quod principium motus, caloris, frigoris, febris, & ſimilium, ſemper erit realiter motus, calor, frigus, febris &c., ità principium peſtis, quod inchoari quidem nequit, niſi poſitâ tali aeris corruptelâ, & inquinamento, ut inferiùs tradam, non poteſt aliter dici, quàm peſtis, niſi tale ejuſdem initium à verâ peſte per hoc tantùm diſtinguatur, quod in initio minùs ſæviat, quàm in majori progreſſu, tunc enim lato modo ſemper *peſtis* dicenda eſt, ſtrictiori verò *minùs intenſa*, eâdem ferè ratione,

Non raro peſtis eſt ſine univerſali excidio

quod

quod tàm in principio, ac progreſſu incendij Domus, ſemper ignis vocandus eſt, qui comburit, ſed impropriè incendium in principio dicendum, dum hujus ſub nomine, ignis devaſtans intelligendus eſt, qui cùm in principio talis verè non ſit, hinc ſit, quod tunc verè incendium non ſit appellandus; ità cùm evidens ſit, quod quó magis intenditur cauſa, adaugeatur effectus, hinc proùt in majori peſtis progreſſu, major ejuſdem cauſa intenditur, tunc ſtrictiori ejuſdem conceptu, ea vera peſtis dicenda erit, quæ intenſiùs ſævit; peſtis autem initium, quæ minùs, cùm evidens ſit, quod vel magis, vel minùs occidat, non aliter interficit, niſi ut peſtis.

Confutatur alia definitio. Neque pariter dicendum eſt cum Antiquis, quod peſtis ſit *febris peracuta, contagioſa, maligna, ac communiter graſſans*, & primò quia febris, ſimptoma peſtis eſt, non eſſentia, & ab illâ ſeparabilis; cùm enim omnes, qui peſte moriuntur, febre corripiantur, imò ex his præpauci, hinc *febris* ſub nomine defi-

definiri nequit, cùm vera ea tantùm ſit definitio, quæ *uni ſoli* competit. Secundò, quia ſingulæ febres, quæ interdum communes ſunt, quamvis malignæ, peſtilentes non ſunt dicendæ.

Minùs convenit ea definitio, quæ peſtem deſcribit, quod ſit *Morbus contagioſus ab alimentorum infectione procedens*; hæc enim licèt quid ſpecificum, peſtemque ſemper antecedens, ſeù producens, deſcribat, perfecta tamen non eſt definitio, quia *uni ſoli*, & *ſemper* non convenit; ſcabies enim, lepra, phtiſis &c. contagioſi morbi ſunt, & ab alimentorum infectione quandoque procedentes, nullus tamen eorum peſtis eſt. *Renuitur alia definitio*

Denique nec amplectenda erit Iacobi Silvij Peſtis deſcriptio: *Febris peſtilens, eſt incendium, quod præcedit, aut conſequitur illos tumores, qui peſtis ſunt certiſſimi caracteres*; Idem enim de tumoribus dicendum, ac de febre; hæc etenim non minùs, ac illi de peſtis quidditate, ac ſubſtantiâ non ſunt, ſed tantùm ſimptomata, quibus peſtis *Non convenit ſilvij definitio.*

ſem-

ſemper non concomitatur, imò addendum, quod tumores non ſunt peſtis frequentiora fœnomena, ſed exantemata, quæ ſeparabilia etiam ſunt, nec veram peſtis eſſentiam ſignificant.

Talis quoque videtur ea definitio; quæ ab Halij aſſignatur, nempè quod ſit *Morbus multiplex pluribus eodem tempore communis*, quam explicans Duncanus Lindelius Scotus *lib. de Febr. pag. mihi* 204. ait, *Multiplex dicitur, quia ex diverſis, pluribuſq; morbis componitur, nam ut plurimùm in peſte ſunt febres peſtilentiales, carbunculi, bubones, exantemata &c.*

Vera Peſtis definitio

Hiſce igitur omnibus ommiſſis, quæ peſtis ſimptomata, non definitionem referunt, cum univerſali tùm Veterum tùm Recentiorum ſuffragio pro legitima peſtis definitione dicendum eſt, quod ea ſit *morbus communiſſimus, peracutiſſimus, pernicioſus, & maximè contagioſus ex maligno, & occulto ſpiritibus, & calori nativo totâ ſubſtantiâ infenſiſſimo inquinamento productus, unde omnia viſcera, & in primis*

cor eſſentialiter læduntur : Pro cujus faciliori, & neceſſariâ perceptione, ſingulæ Definitionis partes examinandæ occurrunt.

Primó, igitur *Morbus* eſt *communiſſimus*, propter cujus elucidationem, ſciendum eſt, quod morbi qui *communiter* graſſantur, alij *diſperſi* ſunt, ſeù *ſporadici*, qui ſcilicèt genere diverſi, uno, & eodem tempore varias Regiones infeſtant, ut quando communiores, & frequentiores aliquâ in Urbe ſunt, ut Colicæ, Anginæ, Ophtalmiæ, Pleuritides, Dyſenteriæ &c. Alii *communes* ſunt, & ex his alii *Endemii* dicuntur, alicui ſcilicet tantùm Regioni familiares, ut Febris Ungarica Ungaris, Scorbutus Septentrionalibus Maritimis Regionibus, Morbus Gallicus Indiarum Incolis, Ophtalmiæ, & Elephantiaſis Ægypto &c. alij demùm *Epidemii*, cùm ſcilicet diverſo tempore variis in Regionibus univerſaliter graſſantur, & ex his alii mitiores ſunt, ut Variolæ, Morbilli, Peripneumoniæ, Tuſſes, & Catarri, ut notat

Definitionis explicatio.

Qui & quot morbi cõmunes

Qui & quot morbi Epidemij.

 Fore-

Foreſtus *in lib.* 6. *de febr. obſerv.* 3. *pag mihi* 152. , & ij prout paucos perdere conſueſcunt, hinc *vulgares*, ſed *mitiores* vocantur. *Vulgaris* enim morbus ille eſt, qui graſſatur, paucos tamen interimit; *peſtilens* autem nonniſi cum multorum nece conſequitur, ut inferiùs Galeni auctoritate roborabitur: è contrà *pernicioſi* dicendi ſunt, qui quàm plurimos, ac ferè ſingulos enecant, uti Febres Peſtilentes, Dyſenterię, Anginę, & Pleuritides legitimæ, ac Inflammationes peſtilentes, quæ adeò in malignitate excreverunt, ut ferè omnes, quos corripiunt, interficiant.

Quis ſit morbus pernicioſus.

Cur peſtis ſit morbus communis.

Peſtis ergò *communis* morbus dicendus eſt, quia cuilibet ætati, ſexui, & temperamento competere ſolet, tùm quia ſingulas Orbis Regiones invadere poteſt, quod ſępè nequeunt reliqui Epidemici morbi: ex iis autem alii *communes* ſunt *actu*, alii *potentiâ*. *Communes actu* ij potiſſimùm ſunt, quorum prava, ac venenata qualitas reliquis communicari non poteſt, quamvis à certâ aeris, tempeſtatum, ac vi-

ctûs

ctûs pravâ diſpoſitione ſuboriantur, ut Tuſſes, Catarri, Anginæ, aliiq; cõmunes morbi, ſed non contagioſi. *Communes* autem *potentiâ* ij dicendi ſunt, qui vel univerſaliter graſſantur, vel per contagioſum influxũ graſſari poſſunt, atque diffundi; cujus ſpeciei maximè eſt Peſtis, quæ multiplex morbi genus verè dici poteſt, tùm quia ſola non remanet, ut ſuperiùs innui, ſed aliis concomitatur ſimptomatibus, quæ de peſtis eſſentiâ non eſſe, ſed ejuſdem tantùm concomitantia jam expoſui; tùm quia ipſamet peſtis contagioſo tali tempore quibuslibet aliis morbis adjungitur, ac vix ulla morbi ſpecies erumpit, quæ peſtilens ſuſpicari non poſſit.

II. *Peracutiſſimus morbus* eſt; non ſufficit enim, quod pro verâ peſtis definitione aſſeratur, quod ſit morbus *communis*, & *epidemicus* dùm quamplurimos pernicioſos ex his non eſſe ſuprà innoteſcit: ſed quia peſtis ferè ſingulos, quos invadit, vel perdit, vel perdere poteſt, hinc *atrociſſimi*, & *acutiſſimi morbi* ſub nomine eſt appellanda, cu-

jus acutiei ſævitiem, quamvis nemo ſit, qui non videat, ſciendum tamen eſt, quod morbi alii *acuti ſimpliciter* ſunt, & intrà quatuordecim dies ut plurimùm deſinunt juxtà quotidianam ocularem experientiam, & Hippocratem *ſec.* 2. *apho.* 23. *Acuti morbi intrà* 14. *dies judicantur*; & ſi hos excedant, *acuti* ex decidentiâ apellantur; alii *acutiſſimi* ſunt, cùm ſcilicet ad quartum, vel ſeptimum diem vix accedunt, ſed fataliter Ægros interimunt, ut veræ Anginæ, Pleuritides, Cholera &c. Alii demùm *peracutiſſimi* ſunt, cùm ſcilicet citiſſimè, vel ad ſalutem, vel ad mortem declinant, quamvis tamen fatales ut plurimùm experiuntur, & vix trium, vel quatuor dierum ſpatium permittunt, ut ſæpè ſæpiùs in praxi innoteſcit, ac nonnullis ab hinc annis in nobiliſſimo, & præſtantiſſimo Equite, vix intrà triduum malignâ febre enecato, obſervavi; quarè procul dubio *peracutiſſimus morbus* erit Peſtis, dùm vix inducias ſinit, ac præcipiti fatali telo, quos corripit, ſingulos penè dixerim

Quis, & quotuplex Morbus acutus

rim

rim interficit. Quamvis autem Marſilius Ficinius *cap*. 24. peſtilens venenum duobus menſibus in Hominibus latere poſſe deſcribat, per annum autem in muris, & lignis, ac per plures annos in veſtibus, & ſupellectilibus laneis, id tamen in Hominibus, nonniſi rariſſimè intelligendum, dùm efficax peſtilentis veneni qualitas immediatè, ac citiùs ut plurimùm agit; quod autem de lignis, ac veſtibus diſſerit, frequenter ſanè contingere poteſt, ut inferiùs, cùm de contagioſâ peſtis qualitate agam, breviter innuam.

III. *Perancioſiſſimus eſt morbus*. Quis enim humanas inter ærumnas deterior eſt, ac crudelior, quàm Peſtis, ex qua Domicilia, Aulæ, Urbes, Regna, ac Regiones, quæ tali corripiuntur pernicie, omninò deſtituuntur, atq; viduantur? Imó Galenus ipſe 3. *Epid. com*. 3. *tex*. 20. Peſtem ipſam ex multorum nece hiſce verbis denõminat, *non eſt certum morbi nomen vulgare, vel peſtilens, cœterùm quicumq; in uno loco multos ſimul invadit, vulgaris hic vo-* *Cur dicatur Morbus pernicioſiſſimus.*

catur, quod ſi ſemel hoc habeat, ut multos interimat, peſtilens eſt.

Variæ peſtis ſpecies

Verùm omittendum non arbitror, quod ex ſingulis Antiquorum Monumentis, quædam peſtis ſpecies graſſata fuit, quæ tot, tamque vulgaribus non ſtipata ſimptomatibus, particularem Corporis partem occupando, particularem peſtilentem affectum conſtituebat. Ità Paulus *lib.* 3. *cap.* 43. ut refert Zacutus *tom.* 1. *lib.* 2. *hiſtor.* 89. Colicum dolorem peſtilentem, & contagioſum ſuis ſævijſſe temporibus palàm deſcribit, quod ab Avicenâ 16. 3. *tract.* 3, & *tr.* 4. *cap.* 3. comprobatur; Nil enim obſtare videtur, quominus prava, & peſtilens aeris qualitas plurimas noſtris corporis partes invadat, & primò inteſtinum Colon inficiat. Tales quoque fuere tot peſtilentes Anginæ, Dyſenteriæ, Peripneumoniæ, & reliqui non pauci particulares morbi Homines tam ſępiſſimè infeſtantes, & atrociter enecantes, ut fuſiùs docet Zacutus *tom.* 1. *lib.* 4. *qu.* 42. *pag. m.* 754. Verùm quoniam particulares hi morbi peſtilentem

naturam

naturam induentes, vel rariores ſunt, vel ſi accidunt unà cum verâ peſte concomitantur, nec legitimam peſtem ex ſe conſtituunt, ſed ejuſdem ſunt ſymptomata; hinc ad tantæ luis perniciem, ac depaſcentiam innuendam, ſatis locupletiſſima ſunt tot Veterum, ac Recentiorum monumenta, ex quibus peſtis ſtrages deducendo *Divinæ vindictæ* pondus adoratur.

Sic crudeliſſima illa fuit Peſtis, quæ docente Agricolâ *lib. 2. de Peſte*, è Capite, & Pectore ſanguineum ſudorem educendo ſtatim jugulabat. Zacutus *cit. loc.*, peſtem totius Luſitaniæ deſcribendo, omnes rotundorum, & nigrorum vermium è naribus expulſione tàm violentâ tunc invadi teſtatur, ut diris excitatis torminibus, omnes cum ſyncoptico ſudore ſtatim peribant, quod ſemel in Venetâ quâdam peſte contigiſſe nonnulli alij teſtantur.

Cardanus *lib. 2. de ſubtil.* tàm læthalem Conſtantinopoli obortam refert, ut inſueto quodam furoris genere quilibet ab alioHomine interfici videbatur,

undè tali terrore invaſus peribat, & in *lib. 5. Aphor.* peſtem quamdam graſſantem ſcribit, in qua cùm brevi momento ſæpiùs Homines ſternutaſſent, ſtatim mortui concidebant, ut quoque contigit Romæ anno 590. ſub Pontificatu Pelagij II. in eâdem peſte extincti, & D. Gregorij, qui cùm pro tantâ ſedandâ ſtrage ferventiſſimas ad Deum preces effunderet, propè Adriani molem, Angelum enſem ſanguine inſperſum in vaginâ recundentem vidit, & clamantem audiit: *Regina Cœli lætare alleluia &c.*, cui reſpondit Gregorius: *Ora pro nobis Deum alleluia*, ità Platina; quare impoſterùm *Sancti Angeli Arx* denominata fuit, & cùm ſternutando, vel oſcitando quamplurimi perierint, hinc religioſiſſimus uſus ſalutem ſternutantibus deprecandi, & Crucis ſigno in oſcitationibus os muniendi, inductus fuit.

Viſio Angeli enſem in vagina recundentis.

Valeriola *lib. 3. loc. com. c.* 18. in Peſte, quæ in Galliæ Narbonenſis Parte anno 1534. vigebat, Homines loquentes, ac ſedentes ſtatim perijſſe confitetur,

tur, ut narrat Paulus Zachias Medico-leg. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 3. *q.* 2. *pag.* 271.

Procopius *lib. xi. de Bel. Perſ.* tam atrocem regnante Juſtiniano peſtem ſęvijſſe aſſerit, ut ferè quotidiè quinque millia Hominum mors conſequeretur. Ità ſub Gallo, & Voluſiano Imperatoribus crudeliſſima quoque peſtis per totam Æthiopiam per 15. annos perduravit.

Baronius *tom.* 2. *Annal.* anni 263. adeò crudelem in Româ peſtem deſcribit, ut quâlibet ferè die 5000. Hominũ perierint.

Euſebius *in ſuâ chron.* ſub Veſpaſiano, & Commodo Imp., tali peſte Romam afflictam fuiſſe teſtatur, ut unicâ die decem millia hominum interierint. Fatalis pariter extitit ea, quam anno 1348. per univerſam ferè Europam infenſiſſimâ Mortalium ſtrage ſevijſſe ſcripſit Villani, ſicuti & illa, quæ anno 1564. totam penè dixerim Italiam devaſtavit.

Svętonius ſub Nerone, unico ſolo anno octuaginta millia perijſſe refert.

Itá ſub Bonifacio Octavo Sum. Pont. anno 1397., & 1400., necnon ſub Nicolao V. anno 1447. tàm crudelis peſtis fuit, ut in totâ Italiâ plures magis mortui fuerint, quàm qui ſupravixerint, & anteà anno 1348. ſub Clemente VI. adeò per totum penè Orbē hæc graſſata eſt, ut vix tertia Mortalium pars ſuperſtes fuerit, quod pariter contigit anno 1575. ſub Gregorio XIIJ., dum tàm infeſta per Italiam ſæviebat, ut pluribus in locis, prçcipuè Venetiis vix Sacerdotes ſupererant, quare ab eodem Pontifice editum fuerat Jubilçum, per quod quilibet, Sacerdotum licèt auxiliis deſtitutus, medio interno pœnitentię actu, ab omni gravi crimine liberabatur.

Sed quid vetuſtas, & remotiores repetam plagas, ſi proximiores in elapſo ſçculo nobis contigerunt, ut tanti morbi *atrocitatem*, *ſçvitiem*, atquę *perniciem* decernamus? Luget adhuc penè dixerim Italia, dum annò 1629., adeò afflicta fuit, ut per ſingulas ejuſdē partes divagata fuerit, & anno 1630. ſedente

Urbano

Urbano VIII. P. M. in tota Gallia, Venetiis, & tandem in Pedemontio à Germanis propè Pançalerium deducta, & Mediolano communicata inſenſiſſima fuit, Ità ſub Alexandro VII. an. 1656. in Neapoli tàm immanis fuit, ut quinque menſium ſpatio triginta, & ultrà millia Hominum perierint; tunc enim Germaniam ferè totam cum Hollandiâ occupavit, ut infelix tot cędum, & calamitatum funeſtiſſima memoria nobiſmet ipſis teſtatur; quare non mirum ſi *atrociſſimi*, *acutiſſimi*, & *pernicioſiſſimi* morbi ſub nomine peſtis ipſa appelletur.

IV. *Morbus eſt maximę contagioſus*, quia prout in aeris corruptione, ut inferiùs tradam, conſiſtit, hinc mediâ ipſâ aeris inſpiratione, de uno in aliud corpus facillimè propagatur; cujus elucidationis gratiâ breviter innuendum cenſeo, maximã inter Medicos promoveri litem, *an ſemper cum Peſte conjungatur Contagium*; quare ſciendum eſt, quod quamplurimi morbi communes ſæpè vagantur, qui tamen contagioſi

Cur dicatur morbus contagioſiſſimus.

Non omnes morbi cõmunes ſunt contagioſi

non ſunt, ut jam protuli, quales ſunt Catharri, Tuſſes, Anginę, Ophtalmię &c. dum *Contagium* nil aliud eſt juxtà ſingulos, & præcipuè juxtà Hippoc. quàm quædam *morbida excretio*, quæ à Mercuriali *lib. 5. de febr. cap. 17. pag. m. 631. quædam morboſa, & prava qualitas* appellatur, quæ vel ab aere, vel à corpore in corpus transfertur. Ex hac autem definitione deducendum eſt, quod quilibet morbus contagioſus, vel per *contactum ſpiritualem* fit, vel per *contactum corporeum*, ſeù *humorum*; unde triplicitèr diſtinguendum eſt, aliud enim *immediatum* dicitur, quod per contactum immediatum duorum corporum conſequitur, ex quorum altero in alterum tranſit infectio, ut qui cum Leproſo dormiens fit Leproſus, aut ex venereo congreſſu celticam luem recipit. Talis autem Contagij ſpecies, non niſi per quid excrementitium ex infecto corpore, alteri communicatum inducitur; aliud dicitur *mediatum*, ſeù *per fomitem*, non quemcumque, ſed rerum poroſarum, ut quæ infectæ

Quid ſit Contagium

quomodo & quotupliciter propagetur Contagium.

Quid ſit Contagium immediatum.

Quid Contagium mediatũ

fectæ permanentes, ſed incorruptæ, contagioſi morbi Seminaria conſervare valent, ut ſunt Veſtes, aliaque tegumenta, quibus de conſueto utimur. Tertium fit *per aerem inſpiratum*, cùm ille corruptus eſt, & inſpiratus, pręſenſentaneum veluti venenum attrahitur, aut cum infirmis contagioſo morbo laborantibus aſſiſtimus, vel eorumdem expirationem excipientes, per eam inficimur. Undè nil mirum ſi Zacutus *tom.* 1. *Hiſtor. lib.* 4. *pag. mihi.* 766. à nullâ externâ cauſâ promptiùs aerem infici poſſe teſtatur, quàm ab eorum, qui peſte laborant expiratione, maximè ſi concluſo cubiculo, plures commorentur; Nam ſicuti ſaluber aer ſpiritu ductus, omnes animantes tuetur, ac ſuſtinet, prout eorum generi ſalutaris, ità qui à putridâ illuvie labefactatur, ſingulis pariter animantibus æquè pernicioſus evadit, ut docet etiam Fernelius *lib.* 2. *de abdit. rerum cauſ. pag. m.* 101. imò Hippocrates *libr. de Nat. Hum.* crebras reſpirationes in peſte vitare maximè præcipit his verbis.

Quid Contagium per aerem inſpiratum

quantũ, & cur pernicioſa ſit peſtiientium expiratio.

Ve-

Verùm cura erit adhibenda, ut quàm parciſſimè ſpiritus in corpus influat, ſitq; maximè familiaris, quod clariùs confirmatur à Galeno *lib.* 1. *de differ. Febr. pag. m.* 30. dum ait in *peſtilentibus conſtitutionibus inſpiratio potiſſimùm eſt cauſa, & magnâ ex parte incipit ex aeris ambientis reſpiratione, à putridâ exalatione contaminati.* Ex his autem deducendum eſt, quod licèt verum ſit, quod qui primi peſte laborant, ab aliis Contagium non attraxerint, ac per conſequens non ſemper in principio *Contagioſam immediatè* fore *peſtem*; conſtat tamen tam per *fomitem*, quàm per *aerem inſpiratum* ſemper eſſe contagioſam; atq; hinc eſt, quod Galenus, aliique Auctores de peſte differentes, de aere infecto mentionem habeant, quia hæc eſt vera Peſtis; ea enim, quæ per contactum corporum diffunditur, *Contagium peſtilens* ab Ingraſſiâ, aliiſque quamplurimis denominatur; omne enim Contagium (non autem omnis Morbus contagioſus) peſtilens eſt, non autem omnis peſtis eſt in principio Contagioſa, ſed tantùm progreſſu tem-

Utrum Peſtis in principio ſit contagioſa, & quomodo differat à contagio

poris, cùm ſcilicet ex inquinato, e tot cadaveribus aere, & neceſſariò hoc inſpirato, ut infrà proferam, quilibet inficitur, & de uno in alterum, non tantum medio *corporum*, ſed *ambientis* diffunditur; atque hinc eſt, quod peſtilenti tempore, quælibet ſuſpecta, & affecta Domus claudatur, & quodlibet in ea contentum comburi ſoleat, nec aliam ob rationem, niſi quod infectorum evitetur expiratio, & ne ex tot inquinatis veſtibus, aliiſque ſupellectilibus peſtilens ſeminium, atque contagium communicari poſſit; per hæc enim facilè peſtis ſeminia de uno in alium locum transferuntur, quia vera peſtis ſeminaria, & fomites dici debent, quare Horat. Augenius *lib.* 6. *de Febr. cap.* 20. *pag. m.* 188. ait *fomes igitur id jure nuncupari poteſt, quod Contagionis ſeminaria in ſe ipſum excipere, atque excepta diù retinere poteſt, atque horum ſeminariorum cauſa alios inficere; in hoc genere ſunt lana, linum, & quæ ex his conficiuntur, ſtragulæ, veſtes; integumenta &c. in his enim tantum*

Cur omnis Domus vel infecta, vel ſuſpecta claudatur.

quinam ſint peſtis fomites

Semi-

ſeminaria Contagionis condi, atque condita diutiùs ſervari poſſunt, ut docet etiam Maſſaria in *tract. 1. libr. 1. de peſte* : quarè nil mirum ſi ceſſatâ peſtis ſtrage in quâcumque Urbe, vel Domo ſingula, quæ ipſis inſerviebant Ægrotis, veſtes ſcilicet, tegumenta, lintea, & reliqua omnia tàm ornamenta, quàm ſupellectilia, quibus peſtilens infectio diutiùs adhærere poteſt, comburi pręcipiantur; idque non aliam ob rationem, niſi quod nulla repullulántis morbi ſeminia relinquantur, ut pluriès contigiſſe tùm Veterum, tùm Recentiorum monumenta deſcribunt.

Peſtis ut plurimum ab aliis propagatur Regionibus, & quomodo

Et reverà atrociores peſtium ſpecies, quę Italiam non tantùm, ſed Europā ipſam devaſtarunt à remotioribus ſemper Regionibus in noſtras tranſlatę fuere, ut plurimi recenſent Hiſtorici, ac inter ſingulas unicam tantùm deſcribam, ex quâ tota ferè Europa afflicta fuit. Hęc itaque (Matheo Villani, & pręſtantiſſimo Muratori referęnte) anno 1346. à Cinenſibus Regionibus, uſque ad Soriam Ægyptum,

Grę‑

Gręciam, & Africam propagata fuit, ab hac per Europęas Naves anno 1347. ad Siciliam, Piſas, & Genuam adducta, per totam ferè Italiam, excepto Mediolano, ſęvijt; Anno 1348. ultra Montes indè translata, Sabaudiam, Galliam Narbonenſem, & quam plurimas Hiſpanicas, & Belgicas Regiones continuâ mortalium ſtrage occupavit, donec anno 1361. in Galliam, Italiamq; redux, Mediolanum, Avenionem, ac Venetias, indè anno 1363. Florentiam deprehendit. Tota hæc funerum, peſtiſque lugubris Ilias ab infenſiſſima, venenata, ac maligna aeris conditione enata quidem fuit, ſed de Urbe in Urbem, ac de Regione in Regionem peſtiferis Hominum, vel ſupellectilium contagijs translata, ut reverà anno 1393. in *libr. de Conſcientiæ Speculo* D. Io. à Capiſtrano à ſolo peſte infecto totam ferè Bononiam peſte paritèr devaſtatam fuiſſe deſcribit, ità à perpaucis Nautis ad Genuam, ac Venetias tranſvecta fuit. Hoc pariter anno 1575. ſub Pontificatu Gregorij

Peſtis à ſolo infecto diffuſa

XIII. contigiſſe teſtatur Platina, cùm ſcilicet ad Romæ Męnia nonnullis accedentibus Mercatoribus, & eorumdem mercibus Romæ non expoſitis, ſed aliàs in Urbes tranſmiſſis, vix illæ ad eaſdem pervenere, quod peſtilens venenum, peſtemque infenſiſſimam propagarunt; quare nil mirum ſi à D: Baſilio Magno in *Homilia pr. Pſalm.* hoc peſtis ſemper fore tributum aſſeratur, quod uno infecto, alter inficiatur. Ità *Avic. to. 1. lib. 1. Fen. 2. doct. pr. cap. 8. in fine*, *& pag. m. 87.* ait, *& eſt prætereà de ęgritudinibus quædam, quæ de uno in alium tranſit, ſicut lepra, & ſcabies, & variolæ, febris peſtilens, & apoſtemata putrida*; Imò, & Ariſtoteles *pr. problem. problem. 7.*, docet *Peſtem approximantes inficere*. Verùm ea eſt infenſa peſtis pernicies, & qualitas, ut æquè agat per *fomitem*, & per *contactum*, aç ſæviat in *diſtans*, ſi enim quis peſte infectus tangat ſanum, ſtatim illum lędit, ità ſi veſtibus affectis ſanus induatur, ſtatim pariter inficitur, & denique ſi infectus ſa-

quomodo propagetur per contactum.

no

no ſolummodò appropinquet, immediatè illum inquinat; atque hinc eſt, quod Eminentiſſimus Gaſtaldi, commercia interdici acriter ſemper juſſerat, ut ipſe in ſuo Libro teſtatur, his verbis: *Magnoperè ſemper inſtiti, ut ſeverè commercia interdicerentur; experientiâ edoctus*, & alibi pro evitanda peſte Contagium vitandum eſſe ſuadet, imò ſine tali cautelâ vitari non poſſe aſſerit *Contagium, negligere crebrior in peſtilentiis error eſt à prudenti regimine magis cavendus, ut peſtis prævia facile vitari poſſit*; Et reverà tùm in illa peſte; tùm in alia an. 1630. & Romæ, & Mutinæ non aliam ob rationem illæſi tùm Monialium, tùm aliorum extitêre Cõventus, niſi intercepto cum ſingulis commercio, imò maximum contrà peſtem remedium eſſe comprobat dictus Gaſtaldi dicens, *nullum præſentius remedium adversùs peſtem comprobavit uſus, quàm ſana Corpora adjuvare, ne inficiantur, quamvis omnium peſſimum Contagium ſit, quod per aerem propagatur*, ut in Conſtitutionibus peſtilen-

Cur commercia interdicantur

Monaſteria in medio peſtis, cur illæſa fuerunt.

 ſtilen-

ſtilentibus ſemper contingit.

Verùm ut ad proximiora accedam, id in poſteriori Germaniæ, & Viennæ peſte ſub defuncto Leopoldo Imperatore innoteſcit, dùm ſcilicet extinctâ in dicta Urbe peſtilentiâ, à nonnullis, non combuſtis veſtibus, aliundè translatis, adducta pariter fuit, & excitata; imò tanti morbi ea infauſta eſt conditio, ut peſtilentibus ipſis Ægrotis inſervire non niſi periculoſum ſit, ac lethale, ut præter ipſam experientiam docet Galenus *claſſe* 2. *lib.* 1. *de diff. Febr. cap.*2. *pag. mihi* 29. his verbis: *Sicuti, & quod peſtilenti Morbo laborantium conſervatio, & cura periculoſa, nec indè contagium contrahatur, quemadmodum ex Scabie, & Lippitudine*, quarè facili negotio quamvis extincta, reviviſcit, & per ea omnia propagatur, quæ ejuſdem fomitem retinere valent; ſępè verò aliquandò aſſumptum venenum diù in corpore latet, ut in contagio morſus Canis rabidi ſępè contingit, nec non in veſtibus, muris, lignis &c.; nec aliundè ratio petenda mihi videtur, quàm

Venenũ cur, & quando diù lateat.

quàm ex Gal. in *claſſe* 5. *de ſimpl. Med. facult. lib.* 3. *cap.* 22. *pag. mihi* 22., ubi ait, *longo etiam tempore, à quo aſſumpta ſunt, nonnulla interimunt; potiſſimùm, quæ craſſa, terrenaque eſſentia ſunt; hæc enim corporibus noſtris inhærentia, inſidentiaque, dein temporis ſpatio putreſcentia, erodunt, corrumpuntque vicinas corporis partes*, ut probatur etiam ex Mercat. *tom.* 1. *lib.* 3. *de Morbis, eorum diff. & cauſ. part.* 1. *claſſ.* 1. *qu.* 176. *pag. mihi* 596.

Utrum detur, & quænam ſit Peſtis artificialis.

Imò adeò de Peſtis eſſentia videtur Contagium, ut hoc mediante impij nonnulli, ac nefarij quidam Homines illam ſub arbitrio excitaverint, uti manifeſtè Paulus Zachias Med. Legal. *to.* 1. *lib.* 3. *tit.* 3. *qu.* 2. *n.* 13. Venetiis, & Mediolani olim contigiſſe teſtatur, dùm peſtiferis contactis annulis, ac peſſulis, peſtilens hauriebatur venenum, undè infecti alios inficiebant, atq; hinc eſt, quod *peſtem artificialem* dari poſſe ſcripſit Weierus *lib.* 3. *de Veneficiis cap.* 3., ut contigit Caſali Montisferrati anno 1536. opere 40. Hominum, de quorũ

ſceleſtiſſimo Veneficio teſtatur Paræus in peſte Lugdunenſi anni 1565. , & Taurini in peſte anni 1599., ut confirmat etiam Ripa Juriſconſ. *in Tract. de Peſte pag.* 37., ubi nefandos Homines, cum Dęmonibus unitos , morboſum efficere aerem , Hominesque interficere docet ; de qua re celebris eſt prædicti Procopij auctoritas , qui in *lib.* 2. *de Bell. Perſ.* peſtilentiam ſub dicto Juſtiniano Imperatore graſſantem à Dæmonibus produci tali modo deſcribit, *Phantaſmata Dęmonum multis humanâ ſpecie viſa ſunt ; qui enim in ipſa incidebant , percuti ſe ab aliquo Viro putabant , morbuſque ſubito irruebat* : quamvis quoquè aſſerendum ſanè foret ob Mortalium ſcelera, talem nocendi poteſtatem eiſdem à Supremo Judice impartiri, de qua re plurimi Auctores teſtes ſunt apud Schenchium *lib.* 6. *obſerv. tit. de Contagio.*

Peſtis per halitum propagata Adeò autem violenta eſt hæc Peſtis contagioſa malitia, ut non per *contactum* tantùm, ſed per *halitum*, etiam aliquando labefaciat, ut ſentit Fernelius

lius in *lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap.* 12. Hinc Ariſtoteles *problem. 4. ſect. 7.* de maxima peſtis infectione, quæ per halitum attrahi poteſt, mirabiliter ità inquit, *omnes celerrimè iis morbis corripiuntur, qui ſpiritu corrupto proveniunt, quale eſt omne peſtilens genus, qui autem appropinquarit, talem profectò ſpiritum trahit, qualem Æger ille reddiderit, ægrotat igitur, quia morbificum eſt, quod ſpiritu trahitur;* imò interdum ipsâ ſolâ inſpectione in quadam ſæviſſima peſte contigiſſe ait Nicolaus Maſſaria *de febr. peſtil. cap. 2.* hoc etiam addendo, ſe ex Cadaveris peſte extincti inſpectione aliquos infectos noviſſe; undè Zacutus in *tom. 2. lib. 3. de admir. praxi med. obſerv. 43. p. m.* 105. ait *caddvera in peſte interempta contagioſa eſſe nullus ignorat*, ac rationes fuſiùs refert; & reverà ſi ex cadaveribus in bello interfectis peſtis oriri poteſt, undè communiter comburuntur, quantò magis timendum erit ex ipſiſmet actu peſtilentibus, contagioſum venenum exhaurire, imò in illa

Peſtis ex ſola inſpectione

Athænienſium peſte à Galeno tàm decantatâ, Aves, & Bruta extinctorum Cadavera deguſtare non audebant, ut notat Lucretius, quaſi mortiferam illam tabem perhorreſcerent. Plures alias de tali Cadaverum contagio referam cùm de cauſis inferiùs agam, & plurimas pariter habes apud Zacutum *tom.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 49. *pag. m.* 340. & confirmat Foreſtus *lib.* 2. *de Febr.*

Quid ſit & quomodo differat peſtilẽs, putridum, & contagioſum.

Hinc omittendum non eſt, quod nonnulli cum Cardano in *lib.* 1. *de Venen. cap.* 11. *peſtilens, putridum, & contagioſum* adeò inter ſe converti aſſerunt, ut unum abſque alio inveniri non poſſit, quod tamen falſiſſimum eſt; nam cùm ex Fernelio *lib.* 2. *de abd. rerum cauſ. cap.* 10. *peſtilens pernicioſum* ſit, ut etiam ſuperiùs de Peſte probavi, quia venenatum, ac deleterium, hinc ex Cardani ſententiâ duo, quàm maximè abſurda conſequerentur. Primò, quod quodlibet contagioſum ſemper peſtilens eſſet, quod falſiſſimum eſt, ut præter Mercati auctoritatem in *lib.* 3 *de morbis, & eorum differ.*

claſſe 1. *quæſt*. 170. *ſuperiùs cit*. ipſa docet experientia, dum Scabies, Lepra, Morbilli, Variolæ, Phtiſis &c. quæ per contactum cõmunicari poſſunt, non ſunt peſtilentes. Secundò, quod omne contagioſum ſemper eſſet pernicioſum, quod de Scabie, Morbillis, & Variolis, manifeſtè contradicitur; hi enim morbi licèt contagioſi ſint, ſæpiſſimè tamen, & præcipuè Scabies ſunt ſalutares, prout ſanguinis maſſam depurant, imò multò magis talis efficitur peſtilenti tempore Scabies, & lues Gallica, ut à peſte præſervare poſſit, ſicuti docent Alexander Bened. *lib. de febrib. peſtil. cap*. 6., Platerus *quæſt. Med. parad. centur. poſtum. num*. 43., & Foreſtus *lib*. 6. *de febr. Epid. obſerv*. 24. *in Scholia pag. mihi* 161. ait, *qui enim ex lue Gallicâ infecti ſunt, tùm ulceroſi rarò peſte inficiuntur*, quarè concludendum, quod graſſans contagium, Epidemico generali in ſenſu ſumptum, peſtilens non ſemper eſt, contagioſa verò ſemper Peſtis, imó contagioſiſſima, ut docet eruditiſſimus Diemarbroek, tùm quia

Scabies, & lues Gallica à Peſte præſervans.

Contagioſa ſemper eſt peſtis

quia ejuſdem venenum *citò*, *facilè*, ac *vehementiſſimè* diſpergitur, quod de Lepra, Phtyſi, aliiſq; contagioſis morbis non dicitur, tum quia peſtilētes alios actu inficit, vel ſi præcautionis gratiá id præcaveatur, alios tamen inficiendi vim habet.

Ex hactenùs ergò dictis ſatis conſtare videtur quàm *communis*, *acutiſſimus*, *pernicioſiſſimus*, & *contagioſus morbus* ſit Peſtis, ut confirmat idem Ripa *cit. loc. pag.* 37., ubi ſic ait: *Peſtis eſt morbus contagioſus à nutrimentorum, vel aeris infectione procedens*. Nunc autem ad totius definitionis expoſitionem perficiendam, reliquum eſt ut ex *maligno*, & *occulto Meaſmate Cor*, & *Viſcera inficiente* produci exponam. Verùm cùm id ad cauſas reducatur, hinc inferiùs de his agam, cùm ſigna tanti morbi ad ipſam cauſarum dignotionem neceſſaria pręmittere, non incongruum cenſeam.

CAP.

CAPUT III.

De Signis Peſtem præſagientibus.

DE Peſtis ſignis breviter acturus, facilioris cognitionis gratiâ ea dupliciter dividenda opinor; alia ſcilicet, quæ præcedere ſolent, alia, quæ Peſtem concomitantur, & ſimptomata dicuntur; Signa, quę antecędere ſolent, alia ſunt, quæ peſtem adhuc remotam præſagiunt, alia, quæ proximam, & quaſi inchoatam denunciant. Hęc propria ſigna, illa verò pręſagia appellantur, quæ ex communi tùm Veterum, tùm Recentiorum ſuffragiis à triplici fonte exhauriuntur. *Quot ſint Peſtis ſigna*

1. E CÆLO Aſtrologi magnos Solis, Lunæ, & Stellarum malignos aſpectus perpendunt, necnon apparentes Cometes, ac Eclipſes. Ariſtoteles enim 1. *Metheor. cap.* 2. ſatis manifeſtè docet, Mundum hunc inferiorem ſuperioribus motibus eſſe contiguum, & omnem *quęnam ſint Cęli ſigna peſtim præſagientia.*

ejus

ejus virtutem à Cælo regi, ac guberna-ri, unde non minùs corruptio, ac generatio ab eodem provenire fatetur, quare nil mirum ſi Hippocr. 1. *de victus ratione*, *ſext*. 4. *pag. mihi* 341. ſyderum aſpectus noſcere Medicis collaudet his verbis, *Syderum ortus*, *&* *occaſus noſcendi ſunt*, *ut mutationes*, *&* *ciborum*, *ac potionum redundantias*; *ventorumque*, *&* *totius mundi*, *ex quibus ſanè morbi hominibus proveniunt*, *obſervare ſciat*. Tales autem ad peſtem Stellarum influxus à Nicolao Maſſa *in lib. de febr. peſtil. cap*.6. *de ſignis pag. mihi* 16. probantur etiam, dum manifeſtè ait, quæ *autem futuram minantur peſtem*, *ſunt corpora ſuperiora*, *conjunctiones*, *&* *alii aſpectus* *&* *virtutes ſtellarum fixarum*.

Syderum aſpectus noſcere Medicis eſt neceſſarium.

Conſtellationes autem malignæ, quę pro peſtis causâ, Aſtrologorum ſuffragia culpare ſolent, ſunt cùm *Mars*, & *Saturnus* conjunguntur cum *Jove* in ſignis humanis, ut annis 1408. & 1479. contigiſſe teſtatur Ficinus in *cap*. 2. *ſuæ Epid.*; quibus ſecuta fuit maxima con-

Quænam ſint malignæ ſyderum conſtellationes.

conjunctio *Saturni*, *Jovis*, & *Martis* in ſigno humano, & peſtis per totum ferè Orbem ſæviit, ità ut quartam Hominum partem necaverit, idque tam infenſo veneno, ut ex ſolo Hominis aſpectu, alter perierit. Hoc fatetur Mindererus in *ſuæ Epid. libro*, & prædictus Ficinus *citato ſuperiùs loco*, cauſam referendo ità ait, *concreatur bujuſmodi vapor in aere univerſaliori tempore peſtis, ex malignis quibuſdam conſtellationibus, præſertim ex Marte cum Saturno in ſignis humanæ conjunctionis*, & cum ipſo nonnulli aſſerunt Aſtrologi, quod Brutorum graſſabitur peſtis, ſi in eorumdem ſignis ſequatur hæc nefanda conjunctio, Hominum verò, ſi in ſignis humanis.

Huic ſententiæ adhærere ſatis videtur Arabum Princeps Avicennas *to.* 2. *Fen.* 1.*tract*.4. (ut fuſiùs, cùm de cauſis agam, innoteſcet) de peſte loquens, & *Fen.*3. *lib.*1. *doctr.*5. *cap.*1. ubi aſtra pro diversâ malignâ inter ſe conjunctione in ſublunaria corpora, & ipſi aeri benignas, aut malignas imprimere qua-

litates deſcribit, ex quibus peſtis cauſam derivat; ità Fernelius in *libr. de febr. cap.17. pag. mihi* 256. nec non in *lib. de abditis rer. cauſ. lib.2. cap.* 12. & Mercatus *lib.7. febr. cap. de febre peſtilent.* & Riverius *lib.17. cap.1. de febre peſtil.* tanti morbi cauſas figuris, atque influxibus cæleſtibus adſcribunt. Ità Senertus *lib.4. de febr. cap.2.* non ſupernaturaliter, ſed ſolâ Aſtrorum vi, peſtem progigni poſſe latè probat.

Probatur multis exemplis. Quod autem talia cæleſtia corpora, & ſigna, ut Eclipſes, Cometæ nonnullas peſtes ſæpiùs præceſſerint, inter quamplurimos Hiſtoricos teſtatur Titus Livius, qui de ſæviſſima peſte in Conſulatu Lucii Ebutii, & Servilii, Romam vaſtante, vagantes per aerem flammas, Cometarum ad inſtar, præceſſiſſe fatetur, à quibus corrupto aere, primò Armenta, Equi, aliaque Animantia, & ultimò Homines infecti fuere, quod etiam confirmat Platina anno 1347. ſub Bonifacio IX. Pont. Maximo & Vencislao Imperatore; ſicuti pariter anno 1557. in Delphen-

celebri peſte docet Foreſtus *lib.* 6. *de Morb. Epid. obſer.*9. *pag. mihi* 159. ut funeſtiſſimus quidem fuit teſtis crinitus ille Cometa, qui anno 1618. die 27. Novembris, verſus Orientem apparuit, & deinceps toto Decembri fulgidus enituit, atque indè tot peſtilentium, & malignorum morborum, nec non belli, & annonæ, quibus tota ferè Europa oppreſſa fuit, infelix ſanè præſagium, neque fallax prænuncium extitit, ut fuſiùs lugubrem narrat Hiſtoriam Riverius *cit. loco pag. mihi* 328.

Signa tamẽ ex Cœlo non ſunt certa peſtis ſigna.

Verùm hiſce non obſtantibus certiſſima Peſtis ſigna non ſunt, tùm quia Peſtes non ſemper præcedunt, tùm pariter quia etiam illis apparentibus non ſemper peſtis ſubſecuta fuit, ut intrà plurimos teſtatur Cardani obſervatio, qui in *lib.*16. *ſubtil.* ait ab anno 1539. uſque ad annum 1551. *tot Solis, & Lunæ maxima deliquia apparuerūnt, & tamen Italia ab anno* 1531. *ad annum* 1552. *& ultrà, nullam paſſa eſt inſignem peſtis cladem, imò nec ferè veſtigium*; Aſtrologorum enim prædi-

ctio

ctio inanis potiùs conjectura erit dicenda, quàm certa ejuſdem præſcientia, quod multò magis Medicis indecens eſt, & abſonum eam eſſentialitèr, & primarió ad aſtra referre; illos enim irridet Primeroſius *lib.* 1. *cap.* 20. *de vulg. erroribus in Medic.* his verbis, *nihil eſt hodiè frequentiùs non ſolùm Medicis, ſed etiam ægrotantibus, ex aſtris de natura Morborum cauſis, ſignis, prognoſi, curatione divinationes inſtituere; tantâ famâ, & audaciâ, ut diſciplinam illam vanam eſſe, & ab ipſis ignorari facilè conjiciatur*, undè non mirum ſi Marſil. Ficinus *lib.* 4. *cap.* 36. aſſerat *quantum Aſtronomi metiuntur, tantum Aſtrologi mentiuntur*. Evidens inſuper eſt ex ipſis *Sacr. Litteris Geneſ. cap.* 1. quod Stellæ creatæ ſunt non ad morborum, & mortis cauſas, ſed in ſigna temporum, dies, & annos; & quamvis Claudianus protulerit:

Non debēt Medici ad Aſtra morbos referre

In Cęlo numquam ſpectatum impunè Cometen; ly *impunè*, non ſemper ad Peſtem eſt referendum, poteſt enim annum calamitoſum indicare, non

Quid indicet Cometa.

autem

autem peſtilentem, nam ſi ſub aliquo Planetâ, & præcipuè ſub Marte, aut Saturno appareat, tunc cum nonnullis Aſtrologis docet Fernelius, quod futuram peſtem minatur; quod ſi ſub nullo planeta fuerit, annum tantùm calamitoſum indicabit, prout magnam in aere viſcidorum vaporum adeſſe multitudinem demonſtrat, ſemper tamen mali ominis ſunt, & certiùs aſſerendum Dei opt. Max. Clementiſs. morem ut plurimùm fuiſſe, flagelli ſigna pręmittere ut à ſceleribus alieni, illa evitemus.

2. Peſtis futuræ præſagia ex aeris, & *Tempeſtatum perturbatione, malo ordine, pravâque earundem conſtitutione, & inęqualitate temporũ* modò *calidâ*, modò *frigidâ, & auſtralibus ventis ſubditâ* erui poterunt, uti teſtatur Hipp. 3. *Epid.*, & in *lib. de aere locis, & aqu. pag.* 281. Ubi generalitèr de quocumque morbo, ex tempeſtatum mutationibus proveniente diſſerendo, ità ait; *qui enim temporum mutationes, aſtrorumque ortus, & obitus, ut horum quæque eveniant, tenuerit, hic utique futurum anni ſta-*

Quę ſunt temporũ & aeris mutationes peſtẽ indicantes.

tum prævidere poterit ; idem aſſerit Ariſtoteles 1.*problem. cap.*21.22., quod à Galeno 1. *de temp. cap.* 4. *pag. mihi* 11. *propè finem* clariſſimè exponitur his verbis, *ex quatuor anni temporibus ſi duo, triave ſint immutata, aut etiam totus annus calidus, humiduſque fuerit, neceſſe eſt magna peſtilentia ſuccedat*, quare ex Avicennâ in Autumno pertimenda erit peſtis, ſi in fine Æſtatis, aut principio Autumni in aëre ingentes ignes appareant, qui Cœlum ipſum, Mare, & Terram comburere videntur; ità Avic. *in Autumno advenientem peſtem poſſumus præſagire, quando in fine Æſtatis, & in principio Autumni apparent in aere ingentes ignes, qui Cœlum ipſum, Mare, & Terram comburere videntur*, ut ſuperiùs confirmat Titus Livius, & ratio ab Ariſtotele petenda eſt; docet enim 1. *problem. cap.* 10., quod multi vapores, prçcipuè in Autumno, à debili Solis calore diſſipari omnimodè nequeunt, undè de neceſſe prout humidiſſimi corrumpuntur, aeremque inficiunt, &

præ-

præcipuè ſi nebuloſi, ac turbati ſint, nec in pluvias cõvertantur; aeris enim obſcuritas ſi diù perſiſtat, aerem ipſum craſſis obtenebrari vaporibus demonſtrat; quarè, ſi nec ventis, aut pluviis diſſipentur, neceſſariò corrumpuntur, aeremque ipſum inquinant.

Ità indicari poterit Peſtis, ſi *aer nebuloſus ſit, atque turbatus*, & ad pluviam inclinet, & non pluat, remaneatque ſiccus; Sicca enim aeris conſtitutio, nebuloſa, turbida, & auſtrina, lethales morbos prædicere ſolet, & peſtilentes, uti teſtatur Hippocr. in *text*. 1. *lib*.. 1. *Epid. ſect*. 1., & de peſte Noviomagenſi anno 1635. ſcripſit Diemerbroek. Talis enim aeris intemperies, licèt ex eodem Hippocrate humidiori ſit ſalubrior, cùm tamen in ſummo gradu *ſicciſſima* eſt, & *calidiſſima*, Febres peſtilentes producit, ut patet apud Livium *lib*. 1. *dec*. 4., ubi ſatis docet, quod ob nimium Romæ ſqualorem, & ardorem peſtis adaucta fuit, eòque magis deteriùs, ſi cœleſtes non ſolùm aquæ parcè deſcendant, ſed Ter-

ra quoque ingenito humore indigeat, & vix ad perennes aquas in Puteis, ac Ciſternis ſufficiat; undè exuſti producti humores in Antracum, & Carbunculorum materiam degenerant, & ex ardentiſſimo, & ſiccisſimo ambiente, fruges ipſæ corrumpuntur, maximum peſtis præſagium, ut inferiùs innuam.

Hæc autem aeris conſtitutio in quocumque anni tempore contingens, *ſicca*, *nebuloſa*, *& impluvia*, morbos malignos portendit, uti præter Hippoc. Gal., Avicen., alioſque plurimos prædictus Nicolaus Maſſa fatetur in *lib. cap & pag. ſuperiùs allata*, dùm clariſſimè ait, *præparantia verò corpora inferiora ſunt tempora non proportionata, ut eſt aer diverſus cum paucitate pluviæ nebuloſus,ità ut oſtendant pluviam futuram, & tamen non pluat, ſed remaneat aer turbidus*, quod planè annis 1527., & 1528. contigiſſe teſtatur, quibus poſt talem temporum diverſitatem, ac inconſtantes viciſsitudines infenſiſsima Hominum peſtis, & mortalitas ſubſecuta fuit. Tales enim aeris turbidæ,

ac impluviæ mutationes ſuperiorem aliquem influxum pluviam ipſam coercentem demonſtrat, quod ſi in Hyeme contingat, peſtiferos morbos certiùs præſagiet, prout hyemali magis tempore naturales pluviæ ſunt, & familiares; quarè id ab Ariſtotele confirmari videtur, dùm ventos auſtrinos pluviis carentes febres efficere 16. *problem.* 52. aſſeruit.

Ità ex opaco, tetro, ac pluvioſo Autumno, ſi auſtrina, & pluvioſa Hyems conſequetur, peſtilentes ſanè morbi timentur, ut in *lib.* 3. *Epid. ſect.* 3. *text.* 1. *p.m.* 1082. hiſce verbis confirmat Hipp. *Autumnus erat turbidus, nebuloſus, & pluvioſus, acceſſit Hyems auſtrina, & pluvia &c.*, ut clariùs, ubi de aeris alterationum cauſis agam, eluceſcet, quibus addendi ſunt Autumni principio, nempè Septembris initio frigidi, ac frequentes venti, ut docet dictus Hippoc. 2. *Epid.*, & in *Aph.*, ſicuti & Ariſtoteles 26. *problem.*, & Gal. 1 *de temperam. cap.* 4. ſuperiùs citato, à quibus omnibus, ubi annus ſit auſtrinus, ma-

Qualis ſit Autumnus peſtem præſagiens.

ximum

ximum futuræ peſtis indicium profitetur.

Qualis Hyems. Idem dicendum de intenſiſſimo frigore, quare inſignem Romæ peſtem deſcribens Livius *lib.5. deciſ.* 1. ait, *inſignis Annus hyeme gelidâ & nivoſâ fuit, adeò ut viæ clauſæ Tiberis innavigabiles fuerint, triſtem hyemem, ſive ex intemperie Cæli raptim mutatione in contrarium facta, ſive alia de cauſa, gravis, peſtilenſque omnibus animalibus æſtus excepit*, ut confirmatur etiam inferiùs, verbis, & auctoritate Rolandini hiſtorici de peſte, quæ anno 1238. contigit, & ratio in promptu eſt, nimirùm, quod prohibito ex cutis denſitate ob ſummam ambientis frigiditatem, naturali effluxu, major intùs putrefactio fit, graviuſque venenum, quàm eſtivis temporibus, quibus ipſa aeris conditio, licèt quodammodo mali principium præſtet, cutis tamen meatus patentiores reddit, per quod faciliùs, quod putreſcit, exhalat, unde naturales, & præter naturales effluxus promptiùs expirant; Aereæ enim qua-

litatis, vel ſiccisſimus, vel calidiſſimus, aut frigidiſſimus exceſſus, naturæ inimicus eſt, & infenſus.

Neque minùs periculoſa eſt inconſtans, & inæqualis, modò frigida, & calida, modò ſicca, & humida anni conſtitutio, & præcipitoſa ex contrariis maximè qualitatibus, vel frigidis, vel calidiſſimis immutatio, dum in his maxima humorum conturbatio fit, undè prava, & ad peſtilentes producendos morbos idonea conditio, per totam eorumdem maſſam imprimitur, de quo lege Riverium *pag. mihi* 327. *Ità ſi Ver auſtrinum frigidum*, modò *impluvium*, modò *imbribus copioſum*, præſertim *ſi æſtatis principium* conſimile ſubſequatur, diurno tempore *calidum*, & noctu *frigidum* morbi peſtiferi ex Avicenna prædici poterunt, ut ſatis ex Hippocr. 1.*Epid.ſect.*1.*ſext.*6. comprobari videtur, variæ enim diei, ac noctis conſtitutiones, modò tenebris, modò luce, modò frigore, modò calore concomitatæ aerem ità alterare aſſueſcunt, ut corpora ad venenatos

Subitæ & inæquales temporum mutationes periculoſæ.

tos

tos morbos, diſponant, & tunc præcipuè, cùm occulta quædam maligna qualitas aeri aliundè communicatur, quod ex Hip. *lib.1. Ep. ſect.2. p.m.*492. his verbis comprobatur, *jam verò poſt brumale ſolſtitium, eoque tempore, quo ſpirare incipit Favonius, extremæ Hyemis frigora magna fuere, aquilones multi, nives, & pluviæ multæ, cælumque cum ventorum turbine imbroſum, & nubilum, eaque ipſa non remiſerunt, ſed ſe ad Æquinoctium extenderunt. Ver autem frigidum, aquilonium, pluvioſum, nubilumque, Neque admodùm æſtuans æſtas fuit. Exiſtente igitur anno toto humido, frigido, & aquilonio ad Hyemem quidem ut plurimùm benè valuerunt, antè Ver autem plerique omnes moleſtè, & graviter vitam traduxerunt.* Ex quo prolixo Divini Senis textu infælix hujuſce noſtri anni conſtitutionis imago eluceſcit, & eheu quot peſtilentiæ præludiis in remotis quamquam Regionibus jam ſerpentis affligimur? imó terribile nobis ſanè eſt vaticinium, funebre

nebre illud relatum exemplum à Zacuto *tom.*1. *lib.*4. *pag. mihi* 755. his verbis, *ſcribit Jacobus Meierus in Cronicis Flandriæ in Belgis perpetuò pluiſſe ab idibus Octobris ad Aprilem, mox graviſſimam ortam peſtilentiam, quæ magnam conſumpſit mortalium partem, & anno* 1025. *natam in Germania peſtem cum fame, quâ* 3. *pars Hominum confecta fuit.*

Denique, ſi Æſtas *inconſtans ſit, varia, auſtrina, parùm calida*, noctibus inquietis, & diebus turbidis conſtituta, tunc peſtilentes morbos expectandos eſſe docet Zacutus *tom.*2. *in prax. Hiſtor. lib. ultimo pag. mihi* 604. & Hyp. in *l.*2. *de morbis vulgar. ſect.*1. *p. m.* 994. ait *Cranone Carbunculi Æſtate graſſabantur, per annos æſtus affatim, & continenter compluit, idque ab Auſtro magis.* *Qualis ſit Æſtas.*

Peculiare autem graſſandi tempus non habet Peſtis, quamvis ſummis æſtivis caloribus quàm maxima ut plurimum ſit, vel ſub Autumni initio, ut conſtat ex Arabum Principe *tom.*1. *l.*1. *Utrum peſtis detur tempus proprium.*

Fen.

Fen. 2. *doctrin.*2. *cap.*9. *pag. mihi* 97. his verbis *peſtilentia autem*, *&* *aeris putrefactio ſecundùm plurimum evenit in poſtremo Æſtatis*, *&* *in Autumno.* Ita brumali etiam tempore eamdem furibundè ſæviiſſe docent hiſtorici cum Plinio *lib.*7. *natur. Hiſtor. cap.*5. nec aliam ob rationem opinor, niſi quod auſtrales, calidique venti excitantur, aut quod æſtivis, vel Autumnalibus menſibus jam inchoata peſtis, hyemalibus magis adaugeatur, & atrocior graſſetur, ad cujus probationem quamplurimis omiſſis hiſtoriis, liceat tantùm mihi peſtem anni 1630. referre, quæ Patavii Junii, & Julii menſibus ſummo vigore excurrebat, Venetiis autem per Octobrem, Novembrem, & Decembrem infenſior fuit, neque imminui cæpit niſi ſequenti anno 1631. Varias ergo temporum, & menſium vices patitur peſtis, quamvis tamen atrocior ut plurimùm Æſtate ſit, quàm hyeme, dum veneni infenſiſſima qualitas faciliùs medio frigore enervatur, crudelior tamen eſſe ſolet, ut ſuperiùs

Cur hyeme ſæpe ſævior ſit Peſtis.

jam

àm protuli, ſi cum hyemis vigore exurgat.

Hæc ſunt ut plurimùm aeris, & tempeſtatum inconſtantium ſigna, & viciſſitudines, peſtem ſæpè antecedentes, quamvis tamen abſque ullâ aeris, temporum, & anni perturbationibus, ac irregularibus motibus talem luem contingere poſſe non verear, ut de peſte Londinenſi in ſalubri anno 1665. productâ luculenter ait Sydenham *pag. m.* 123.

Hiſce denique aeris conſtitutionibus addenda ſunt *crebriora Fulgura*, & gravi *odore* inſignia, quin copioſi ſubnati Culices, & alia inſecta, quæ non rarò ab aere ſemiformata unà cum rarioribus aquæ guttulis ab ipſo deſcendunt, quæ manifeſtam, & excellentem aeris corruptionem, ut inferiùs aſſeram, demonſtrant.

Fulgura, & alia inſecta animantia.

3. Ex ipſa terra, variiſque in eadem prodigioſis productis effectibus, Peſtis ſigna erui, & prædici poterunt.

In primis autem ſpectandi maximè ſunt *Terremotus* frequentes, ut in nonnullis

Terræmotus Peſtem minātur

nullis Peſtibus contigiſſe docent Hiſtorici. Ità in Pontificatu Benedicti VIII. anno 1012. ſęviſſimam Peſtem ab ingenti Terræmotu, & in Lotharingiâ à ſanguineo fonte indicatam fuiſſe ſcripſit Platina; Ità ſub Bonifacio IX. Pont. M. anno 1397. præviis Terræmotibus Genuenſis peſtilentia præ nunciata fuit. Terribilis quoque fuit Terræmotus, qui die 30. menſis Julii anno 1627. in Apuliâ evenit, ex cujus violentiâ plurima Oppida diruta fuere, & ædificia cum maximo indè à peſte illato detrimento, ut ſcripſit Paulus Zachias med. legal. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 3. *quęſt.* 3. *pag.* 272. Sic ſub Nicolao V. S. P. anno 1447. univerſalem Italiæ peſtem præceſſerant Terræmotus, & fatales Solis Eclipſes, ut pariter de peſte anni 1525. per totum ferè Orbem immaniter debacchante, quæ crebris Terræmotibus, ac ingenti aeris fætore præſignata fuit, teſtatur Horat. Augen. *de febr. lib.* 5. *cap.* 9. *pag. mihi* 163. quod ubi de cauſis agam, clariùs innoteſcet.

Idem pariter dicendum erit ſi ex ipſa

humo

humo *balitus,vaporeſque* graviter olentes eleventur. Si *murium, pulicum*, aliorumque inſectorum animalium putreſcentium, atque ex putri productorum nimia copia progignetur, quæ non solùm peſtem indicant, ſed per ſe producere valent, pro ut infeſta, maximèque corrupta, ut intèr quam plurimos prędictus Zacchius *citato loco*,ſed *queſt*.4. deſeribit, ità & Ripa J. Conſ. *de peſte* 1. *parte* ,*particula* 1.*n*. 15., & inter Medicos Zacutus *tom*. 2. *lib. ult. pag. mibi* 604., & Diemerbroek in mirabili ſuo tract. *de peſte cap*. 6. *n*. 41. Ità Ariſtot. 1.*problem. queſt*. 22., & Plinius *lib*.10. *cap*.28.*parvularum Ranarum* multiplicationem peſtis ſignum eſſe aſſeruit, quia ubi hæc animalia in copiâ apparent, magnę humiditatis, & putrefactionis indicia eſſe ſolent.

Halitus fetidi ex terra.

Ranarum copia.

Ità Plutarcus in *libr. de defect.Orac.*, *muſcularum* pariter nimiam copiam inter peſtis ſigna recenſet, atque hinc eſt, quod Plinius ſuperiùs cit. loco clariſſimè ſcripſit, quod Elejos Populos in Peloponenſi in ingenti muſcarum abundantiâ

Muſcularum;

Deum

Deum quemdam contra peſtilentiam invocare conſueverunt, & D. Hieronymus Theodoſii Imperatoris tẽpore, magnam *locuſtarum* copiam in Judæâ horrendam peſtem præſagiſſe demonſtrat; illam verò ſubindè effeciſſe lege inferiùs, ubi de cauſis ab infectis cadaveribus aerem inficientibus diſſeram.

locuſta-ſtarum.

Idem dicendum ſi *Aves moriantur*, dum illi in aere morbi cauſam adeſſe ſignificant; vel ſi Hominum cõmercia fugiant, & in ſylvis ſe ſe abſcondant, ut Romæ ſub Pontifice Victore III. jam contigit, & ſubindè anno 1089. ſæviſſima peſtis graſſata fuit.

Ex avium morte.

Ita penè infallibile non tantùm imminentis, ſed præſentis peſtis ſignum eſt, ſi *ros è Cœlo decidens* fructus omnes ferè abſumat, aut ſi cum pane, alioque ferculo collectus, & canibus exhibitus eos ſtatim interficiat.

Ex rore Cœli.

Hinc à ſingulis celebratiſſimum eſt futuræ peſtis ſignum *maxima annonæ caritas*, aut ſi terræ *fructus fatui* ſint, aut inſipidi, vel peſſima anni conſtitutio *ſyderatas ſegetes* efficiat, ut inter innumeros

Ex fame, & annona.

docet

docet Maſſaria *pag. mihi* 507., Franciſcus Piens *pag. mihi* 431. Willis in *cap. de Peſte*, & cum Zacuto, Riverius *in lib.* 17. *cap.* 1. *pag.* 328., ſicuti fuſiùs, cùm de cauſis agendum erit, confirmabitur; Tunc enim temporis vilioribus, praviſque alimentis enutrimur, undè cùm à languido partium calore rectè concoqui nequeant, in malignam convertuntur putredinem; Hoc ſanè contigit anno 1628., cùm ſcilicet Mediolani, ejuſdemque in Ditionibus, graviſſima vigeret penuria, anno ſubinde 1629., & 30. infenſiſſima Peſtis enata fuit. At non ſolùm ipſa *Fames*, & *Sterilitas* peſtem inducere valet, ſed ipſamet *Fertilitas* poſt eamdem adveniens, ut inferiùs innoteſcet, & teſtatur Democritus, undè qui propter pręgreſſam famem nimis afflicti fuere, in ſummâ *fertilitate* uberiùs replentur, atque corruptos, malignoſque in copia producunt humores. *Ex ſterilitate paſt annonam.*

Peſtis quoque ſigna eſſe ſolent *Variolæ*, ac *morbilli* epidemici, & cum fatali exitu graſſantes, pro ut magnę, ac de- *Ex variolis, et morbillis malignis.*

deterrimę putredinis copiam indicant, atque minantur.

Ex abortubus. Ità frequentiores *Mulierum abortus* peſtem præſagire poſſe nonnulli unà cum Diemerbroek ſuperiùs *citato loco*, opinantur, eâque fulti ratione, quod peſtilentiali initiato meaſmate, imbecilles redduntur fœtus, facilè moriuntur, undè *abortus* ſubſequitur.

Ex puerulis ſepulturā per ludum ſimulantibus. Hinc notandum eſt, quod prædictus Auctor peſtem poſtremis ſuis annis Noviomagi variis in locis graſſantē *à Puerulis mortuorum ſepulturam ſimulantibus*, ac per ludum effingentibus, prædictam fuiſſe deſcribit, ut in famoſâ Delphenſi peſte anno 1557. contigiſſe docet Foreſtus *lib.* 6. *de Febr. Epid.*, *obſerv.* 9. *pag. mihi* 159.

Ex ſobriis peſtilenti aliquo morbo correptis. Ità à Mercuriali aliud ſingulare peſtis ſignum refertur, cùm ſcilicet, qui *Sobrii* ut plurimùm ſunt, peſtilenti nonnullo morbo corripiuntur; docet enim Philoſtratus in vitâ Apollonij Thianei *lib.* 8. peſtem Epheſiis à quodam valdè ſobrio peſtifero, & maligno morbo correpto prædictam fuiſſe,

ut reverâ atrociſſima conſecuta fuit, à ſobrijs enim in peſtis initio affectis, maxima aeris corruptela indicatur, pro cujus auctoritatis validiori robore lege dictum Mercurialem in *tr. de febr. l.*5. *cap.*17.

Denique maximum peſtis indicium eſt *Brutorum*, *Canum*, & *Armentorum* Epidemicus interitus, ut inter Veteres teſtatur Aetius *lib.*5. *cap.*15. Mercurialis, & Zacutus ſuperiùs *cit.loco*, nec non Homerus *lib.* 1. *Iliad.* hiſce verſibus *Ex animantium cujuslibet generis Epidemicâ morte.*

Aſſalì prima, e Muli, e Cani, e quindi
Scagliò le ſue mortifere ſaette
Contro gli Uomini ſteſſi, &c.

Quamvis autem Democritus *Bruta Peſte* infici poſſe per hoc negaverit, quod Atomi, quibus ipſa conſtituuntur, valdè ab iis diverſificantur, quibus componitur Homo, cui arridere videtur Hyppocr. in *lib. de Flat.* ubi docet bruta peſte non tentari, quia inquinamenta, ſeù ſemina, ut ait Gal., quibus inficitur homo, non ſunt homogenea, neque analoga naturæ Bruto- *Utrùm bruta peſte corripiantur.*

 rum,

rum, hoc à ſingulis ferè confutatur, quia ſatis evidens eſt Epidemicos morbos inter Bruta graſſari, ut univerſis eorumdem cladibus triſtiſſima teſtatur Italia, ac Pedemontiũ armentis ferè totum nõnulla in Regione orbatus, quarè ne Democrito ejuſdem impugnando ſententiam injuriam inferam, dicendum erit, quod propter variam in brutis, ac Homine porrulorum diverſitatem, meaſmatis, ac particularum venenatarum pariter diverſitas requiritur; undè eadem aeris infectio, quæ bruta interficit, illæſos forſitan Homines relinquet, non autem abſolutè dicendum erit, bruta peſte non poſſe infici, ac enecari, dum clariſſimè Ariſtot. 8. de *Hiſtor. anim. cap.* 19. ait, quod bruta, ac homines peſte capiuntur, imò Homerus 1. *Iliad.* faciliùs ea peſte corripi quàm homines deſcribit, cujus ſententiæ auctoritas à Seneca 6. *quæſt. cap.* 26. triplici ratione roboratur. 1. Quia Bruta liberiori aere noctu, dieque utuntur, quàm homines, & copioſiùs aerem attrahunt. 2. Quia bruta indiſtinctè,

Eadem in Brutis ac in Hominibus non eſt Peſtis.

ſtinctè utuntur alimentis, & aquis tùm infectis, tùm innocuis. 3. Quia illa demiſſis capitibus terram intuentur, halituſque ab eadem infectos faciliùs hauriunt, unde citiùs inficiuntur.

Utrùm ex Boum morte timenda ſit Peſtis.

Et ſanè quantum ex tali Epidemica *Boum* nece, ex quâ per nonnullos annos Italia, nuperrimè verò noſtrum Pedemontiũ eiſdem devaſtatur, infauſtiſſima inter homines peſtis timenda ſit, temporum lugubris conditio, tempeſtatum mutatus ordo, Mortalium malitia, & Hiſtoricorum monumenta nos terrent. Ita Livius *lib.* 41. *Hiſtor.* ſic ait *Delectus Conſulibus eò difficilior erat, quod peſtilentia, quæ priore anno in Boves ingruerat, eò verterat in hominum morbos.* Sic Ovidius *libr.* 7. *metam.* ſcripſit.

Strage Canum primò, volucrumque, aviumque, Boumque
Inque Feris ſubitò deprehenſa potentia morbi eſt.
Pervenit ad miſeros damno graviore Colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mænibus Vrbis

 Idem

Idem confirmat Claudianus *in lib.* 1. *contra Ruffin.*

Ac velut infecto morbus crudeſcere
Cælo
Incipiens, primò pecudum depaſcitur
artus,
Mox Populos, Urbeſque rapit. . .

Tantæ, ac tam lugubris calamitatis præſagia jam tradiderat Antiquiſſimus Paulus Egineta in *lib.* 2. *càp.* 36. his verbis: *mors animantium magna eſt conjectura futuræ peſtilentiæ etiam inter homines.*

Hiſce nonnullas alias de tam fatali prænuncio Hiſtorias, & auctoritates addere poteram, & præcipuè quidquid ab Ermano Hiſtorico graviſſimo in ſua Cronica (lege Muratori) reperitur, ubi poſtquam Pecudum Epidemicos interitus anno 1044. graſſantes, una cùm rigidiſſimâ hyeme, ex quâ vineæ quàm plures devaſtatæ, atque extinctæ, ut ità dicam fuere, peſtem inter Homines, cum frugum ſterilitate anno 1046. ſubſecutam fuiſſe deſcribit hiſce verbis *magna mortalitas multos paſſim extin-*

xit; At hiſce fuſiùs immorandum non reor, cùm ſatis præter ſuperiùs relata Eminentiſſimi Gaſtaldi auctoritas mihi ſufficere videatur, qui in aureo ſuo tractatu de peſte, Brutorum mortalitatem, & præcipuè Boum, peſtis præſagium aſſignat, ut de peſte anno 1656. contigiſſe teſtatur. Idem planè jam aſſeruerat D. Ambroſ. *in lib. de Noè, & Arcâ cap.*10. (ut prædictus refert Muratori), dum ait *ſi quando eſt peſtilentia, corrupto Cæli tractu, priùs ea quæ ſunt irrationabilia lues dira contaminat, & maximè Canes, Equos, & Boves, atque ea inficit, quæ cùm Hominibus converſari videntur, ſic morbi vis etiam genus humanum implicat.* Nihilominùs tamen certiſſimum eſt, quod *Boum* Epidemica lues, nec evidens, nec conjecturale humanæ peſtis indicium eſt appellandum, dum talem eorumdem Epidemiam ſinè ulla ſubſecutâ Hominum peſte aliàs ſæpè ſæviiſſe tùm Medici, tùm Hiſtorici quoque teſtantur, ità Fracaſtor in ſuo tractat. *de contag. lib.*1. *cap.*12. *pag. mihi* 112. &

Boum mors non eſt certum ſemper Peſtis ſignum.

& Horatius Augenius in *lib.* 4. *Epiſt. & conſult. Medicin. pag. mihi* 44. de infenſiſſima Boum peſte anno 1514. ſæviente diſſerens, nullam humani generis ab eadem Epidemiam ſubſecutam fuiſſe deſcribit. Ità pariter aſſerit Celeberrimus Rolandinus Hiſtoricus de peſte anni 1238. dum ait: *fuit hyems aſpera, & horribilis, ità quod nivis, & frigoris ſuperfluitate inſolitâ mortuæ ſunt vineæ, olivæ, ficus, & aliæ multæ fructiferæ arbores* (ut anno 1709. ſanè contigit) *& eodem anno peſtis ſecuta eſt avium, gallinarum, Boum, & multarum utilium beſtiarum*, ad homines autem propagatam fuiſſe nec ipſe deſcribit, nec ex aliis Hiſtoricis anno illo ſæviiſſe eluceſcit.

Cur a Boum morte ſæpe peſtis oriatur.

Verùm antequam ulteriùs progrediar, irritum ſanè non cenſeo cauſam ipſam, cur ab Epidemica Boum ſtrage, ſæpè in hominibus peſtilentia ſubſequatur, perquirere. Hæc igitur à Quercetano, aliiſque tùm Veteribus, tùm Neotericis non aliter aſſignatur, quàm quod ex corruptis, ac peſtiferis Boum

hali-

halitibus, nec non ab eorumdem cadaveribus malignum pariter, veneratum, ac peſtilens meaſma in aere imprimatur, & ab eodem infecto, inficiatur, & homo. Quamvis autem præſtantiſſimo alicui Recētiori de peſte Scriptori, non arrideat hæc ratio, juxtà tùm ſuam, tùm communem Auctorum ſententiam, *peſtem* ſcilicet, *quæ uni animantium generi contingit, alteri non evenire*, tamen (tanti Viri pace, & veniâ) reſpondere audeo, peſtem à tali aeris infectione ab infectis Boum, aut halitibus, aut cadaveribus productam non eamdem Boum peſtem denotare, generis enim ſimilitudo requiritur, (ut ſæpè ſæpiùs jam protuli, & inferiùs repetam, cùm de cauſis ſermo erit) ſed dicendum eſt, à tot cadaverum labe vitiato aere, homogeneam, ac hominibus naturalem infectionem, & peſtem progigni; peſtis enim eadem non eſt, nec eadem infectio, cęteroquin eodem tempore graſſaretur, & à ſolo Boum efflatu, & halitu per contactum inter homines propagaretur, nec ab aeris

infectione dependeret, nec generis, ac poroſitatum analoga ſimilitudo exigeretur, nec ceſſante Boum peſte ſubſequeretur, ſed eodem tempore, quo pereunt Armenta, perirent & Homines, idque per hoc maximè contingeret, quia ad inficiendum aptiſſimus eſt Boum halitus, ut mirificè teſtatur Geſnerus *lib.* 1. *de quadrup. cap.* 43. his verbis, *boves paſcendo herbas inficiunt, bibendo fontes, ſtabulo præſepia, & quamquàm ſani ſint, odore morbidorum afflante, depereunt*, quod certiùs dicendum eſſet, quando halitus peſtilens eſt, prout infecti ſunt Boves, ut comprobat univerſalis ferè *morbi, & ſimptomatum* in eiſdem *ſimilitudo, infectio*, & per *contactum propagatio* nec non *celer* ipſorum *interitus*, quæ tria peſtis eſſentiam ſignificant; quare probabiliùs, imó neceſſariò dicendum eſt, quod à tot eorumdem cadaveribus peſte interfectis, peſtilens halitus, & meaſma ſublevetur, & aerem, (non ſecùs ac paludoſis, aliiſque infectis vaporibus ille alteratur,) inficere

poſſit.

poſſit.

Verùm tamen eſt, quod ſi ab alimentorum, ac pabuli vitiatâ, ac ob tempeſtatum, temporumque malignas viciſſitudines infectâ qualitate, Boum, aliorumq; Animantium epidemica infectio producitur, tunc ab eadem tempeſtatum intemperie hominum paritèr alimenta, fruges, & fructus infici poſſe, nemo eſt, qui ignoret, & tunc *communis*, *& univerſalis cauſa* dicenda erit *ad peſtilentiam* tantùm *diſpoſitiva*, ut inferiùs patebit, non autem *actu* peſtilens, quia hæc ab aeris neceſſariâ infectione, quæ ſubſequi ut plurimùm ſolet, dependet. Utrùm autem in tam fatali Italiæ, ac Pedemontii Epidemica Boum nece, talis tantùm adfuerit intemperies, quamvis nec meum, nec hujuſce operis munus ſit inveſtigare, dicere tamen audeo, quod præter talem temporum alterationem, quæ ſanè inconſtans, turbata, ſuiſque in mutationibus inæqualis fuit, (ut inferiùs aliás pariter Hippocr. jam deſcripſiſſe innoteſcet) alia non levis cauſa culpanda

eſt,

eſt, *Extranei* ſcilicet *infecti Boves* in Italiam anno 1711. circà Patavium introducti, ut clariſſimè teſtatur Reverendiſs. Pater Boromeus in ſuâ exáctiſſimâ horum Boum Epidemicâ recenter impreſsâ Hiſtoriâ, & ad eruditiſſimum, & ſanè præclariſſimum Dominum Lanciſium noſtri ſæculi Apollineum lumen nemini ſecundùm, Sanctiſſimi Clementis XI. P. M. Archiatrum meritiſſimum tranſmiſſâ, & uti pariter ab eodem ſapientiſſimo Lanciſio in nitidiſſimâ ejuſdem ad prædictum Boromeum reſponſione confirmatur, & ab utriſque variis, firmiſque rationibus *contagioſo* ſub nomine appellatur.

Cur ex recenti Boum epidemia non ſit timenda peſtis.

Verùm hiſce non obſtantibus ingenuè fatendum eſt, quod nullus ex hucuſque de tali Boum epidemiâ, ac corruptis eorumdem halitibus, aut cadaveribus brevi exaratis, nullus inquam futuræ peſtis timor nobis deducendus eſt, dum ea majoris eruditionis gratiâ, non fatalis auſpicii ſub nomine innui; imò ut certiùs rejectâ timoris larvâ, validior reſurgat fiducia, quod

nulla ex tot peremptis Bobus, Hominum peſtis timenda ſit, validiori ratione roborabo. Et revera liceat mihi, quod fuſiùs dicturus ſum, brevi nunc premittere: Dupliciter hiſce temporibus produci peſtem timendum eſſet, vel quia à corruptis, maligniſque e tot eorumdem cadaveribus elatis vaporibus, aer ipſe inficeretur, vel quia à pravâ victus ratione, annonæ defectum ſubſequente, ex quo impuri pariter, & maligni in hominibus progignuntur humores, peſtilentes ſubindè morbi, juxtà Gal., producerentur.

At favente DEO neutrum nobis hactenùs timendum eſt; non primum, idque duplici ratione, tùm quia non tot hucuſque perierunt Boves, ut ab eorumdem cadaveribus tàm copioſi, maligni, ac venenati eleventur vapores, ut ab eiſdem alterari, ac infici poſſit aer, tùm quia à legitimâ peſte peremptos non arbitror, ſed à ſolo particulari, & eiſdem tantùm analogo maligno meaſmate, vel ab exteris Bobus introducto, vel à peculiari, & occulto ſeminio, à tot

tem-

tempeſtatum viciſſitudinibus, vel in pabulis, vel alitèr producto, & per eoſdem graſſante. Tale autem eiſdem tantùm anologũ meaſma, ex hoc ſanè conjiciendum eſt, quod ex aliis etiam animantibus eodemmet ſtabulo immorantibus, nullum prorſus contagioſè à Boum epidemico morbo hucuſque infectum innotuit, ſed inmaniter tantùm inter eorumdem ſpeciem fuit propagatus, & è contra ſi eorumdem cadavera aerem alterare, ac inficere poſſent, quis non videt, quod quatuor ab hinc annis, quibus per totam ferè Italiam tanta ſæviit lues, malignum aliquod jam in aere, e tot cadaverum inquinamentis impreſſum fuiſſet meaſma, ex quo ſubindè nonnulli homines, qui eâ ambientis qualitate neceſſariò utuntur, maligno, ac venenato quodam morbo periiſſent? At è contra tàm firma, ac univerſalis inter homines numquam viguit valetudo, quàm eiſdem ab hinc annis, quibus epidemicè boves intereunt; quarè deducendum ſanè licet, inanem eorumdem fore timorem, qui ex boum

nece,

nece, & cadaveribus, aerem infici poſſe, ac per conſequens futuram mortalium ſtragem ſuſpicantur, imò addendum ſanè cenſeo, quod ſi epidemica inter homines lues excitanda foret, id ſanè exactis æſtivis tempeſtatibus contigiſſet, quibus ab ambientis calore tetri, impuri, ac venenati vapores validiùs elevari potuiſſent, cùm è contra hyemali ſæviente frigore, ab omni impuritate aerem depurari innoteſcit.

Multò minùs ab eorum defectu, & per conſequens ex terræ ſterilitate, frugum, fructuumque inopia timenda eſt, dum tot non defecere, ut de incultâ terrâ metuendum ſit; & de annonæ caritate, ad quam præcavendam, omnemque removendum timorem eximia Clementiſſimi Noſtri REGIS munificentia, mirabilis tot *Patrum*, quot *Virorum* pro ſanitate tuendâ dicata vigilantia, necnon ſtudioſiſſima hujuſce AUGUSTÆ ſedulitas ſanè ſufficiant, dùm ſinguli poſt impeditum undequaque cùm infectis cõmercium, non metus, non ſuſpicionis vi, ſed inclytâ prævi-

ſionis

ſionis providentiâ adducti, poſt tantam omnium frugum collectam copiam, ut quodlibet annonæ infortunium (quod Superi removeant) fæliciſſimè ſint reparaturi, pijſſimis ad DEUM, & TUTELARES Votis, ac exemplis, aeris non tantùm ſalubritatem, ſed vegetam ſingulis fertilitatem deprecantur. Hæc feliciſſima, & Subditorum, & Civium haeſt conditio, ut Patrem in REGE habeant, Matrem in AUGUSTA, quarè evidens ſatis eſt, quod SUPREMI NUMINIS ſub auſpiciis, nec Boum aeri pernicioſa cadavera, nec ejuſdem teterrima, ac maligna indoles, nec ſterilitatis, aut annonæ infelicitas eſt pertimenda. Quidquid enim ſuperiùs innui, Hiſtoricorum, & Medicorum auctoritates deſcribendi gratiâ, non pro fatali auſpicio, nec ad timorem inducendum expoſui, cùm mihi ſatis compertum ſit lethalē non rarò fore timorē, malignoſque ab eodem ſæpè produci humores, indèque peſtilentes, ut Galenus *lib. de rig.*, *& trem. cap.* 3. mirificè ait, *Timor* valdè *animos, & vires hominum frangit,*

fractis

fractis viribus faciliùs peſtis ſubſequitur.

Nil ergò, ex hucuſque relatis, de peſte legitimè timendum occurrit, ſigna enim ſæpè fallacia ſunt, neque peſtis eadem ſemper ſubſequitur, ut pluribus in locis expoſui, & ſi quid ſuſpicandum adeſſet, id à ſceleſtiſſimâ Orbis terrarum indole talem Divinę Juſtitiæ vindictam excitante, pertimeſcendum, cùm à Tertuliano Peſtis *Tonſura laſcivientis, & ſylveſcentis generis Humani*, denominetur.

CA-

CAPUT IV.

De Cauſis Peſtem *conſtituentibus.*

Q*Uàm perincioſus*, *atrociſſimus*, & *lęthalis* morbus ſit Peſtilentia ex hucuſque dictis ſatis innoteſcit, nec ullum prorſùs adeſſe vereor, qui primariam ejuſdem cauſam ad Deum non referat. Peſtem ad criminum expiandam nequitiam demiſſam eſſe ſatis pr. cap. deſcripſi, & Fidelis eſt eam Cęli flagellum venerari, quod licèt ſupernaturalem cauſam indicet, à naturali tamen eam prodire permittt DEUS, quare hujus perſcrutatio unicum Medici munus eſt, ac perconſequens de hac ſpeciatim agendum; certiſſimum autem eſt, quod, quamvis *quid peſtis ſit* in genere deſcribere ſtuduerim, difficilior tamen ejuſdem in ſpecie particularis cognitio mihi occurrit juxtà Gal. monitum *cap.2.de Ther.*ad Piſon. *Peſtis cauſa cognoſcitur in genere, raro in ſpecie.*

Peſtem

Peſtem *ab aeris vitio*, *&* *inquinamento*, ac *infectione* prodire, nemo eſt qui ignoret, quare à Philone Hebreo, *aeris interitus*, à Plutarco *aeris corruptio*, & à Marſilio Ficin. *aereus Draco venenum in homines ſpirans* denominatur. Idem inter plurimos teſtatur Hipp: *lib. 2. de nat. hum.*, & *lib. de flat.* his verbis, *ſolus aer peſtis, & cõmunium morborum eſt cõmuniſſima, & potiſſima cauſa*, & confirmat Wiliſius *in lib. de febr. cap. 12. Ità homines ſine cauſa manifeſta in clade epidemica occumbentes, nil prǫter aeris inſpirati labem interimere poteſt*, ut notat etiam Ripa ſuperiùs *cit. loco*, omneſque hanc à *contagio* differentiam aſſignant, cùm hoc non ab aeris vitio, ſed à maligno contactu, & è malignis corporis morbis producto progignatur, peſtis autem ab aere inquinato fit, quamquam *ſecundariò* de uno in alium transferri poſſit, atque prodire; quamvis Recentior quidam non minùs, ac eruditiſſimus de peſte Scriptor ab aeris infectione numquam, vel ferè numquam eamdem prodire teſtetur,

Peſtis ab aeris vitio procedit

Differ. Peſtis à contagio

F cùm

cùm autem à *malignis*, *ac venenatis ſpiritibus totam liquidorum maſſam, inſici, ac diſſolvi aſſerat*, mortemque induci, non aliundè, quàm ex ipſa ambientis labe tales ſpiritus deſumendos opinor; ſi enim in peſtis progreſſu ex cadaverum copia, ac corruptelâ aerem vitiari admittit, undè ab eodem tamquam è novo venenatorum ſpirituum fonte in alios peſtis ipſa contagiosè propagetur, cur in primo peſtis acceſſu talis ſpirituum maligna conditio in aere culpanda non erit, ac per conſequens ipſum infici, ſi à nullâ cadaverum labe anteà infectus erat, peſtis tamen vigere incipit, & ſpiritus ille malignus in ſanguinem invehitur? Quod ſi totalem, & intrinſecam aeris corruptionem negat, optimè negat; aer enim eſſentialitèr corrumpi nequit, ut inferiùs referam, quamdam tamen in eodem alterationem admittendam eſſe ſinguli conſentiunt.

Quid ſit morbus Pandemius, ſeù ſimplicitèr Peſtilẽs

Ut ergò legitima tanti morbi cauſa exponatur, dicendum in primis eſt, *cõmunes*, & *peſtilentes* morbos alios ſimpli-

plicitèr *Pandemicos* eſſe, alios verè *Epidemicos*. Morbus, qui *ſimplicitèr peſtilens* eſt, ut docet Fernel. *cap.* 12. *de abd. rerum cauſ.* ex ſemiputridis aquis, aut fructibus producitur, ut in Caſtris contingere ſæpè ſolet, nec non ex ſtagnantibus, aut canapo infectis lacunis. Iſti *epidemii* verè dici nequeunt, ſed *ſimplicitèr peſtilentes*, ſeù *Pandemii*, ut febres tertianæ, Variolæ, Dyſenteriæ, &c. quamvis tamen verum ſit, quod ex nimis diuturnis *Caſtrenſibus* Morbis *peſtilentes* ſuboriri conſueverunt.

Utrùm aer putreſcat, & qualis ſit, qui in Peſte afficitur

Epidemica verò *Peſtis* ab ipſo aeris vitio proficiſcitur, licèt enim aeris ſubſtantia, cùm ſimplex ſit, verè putreſcere nequeat, ut docet Ariſtot. 20. *problem. text.* 25., imò cùm de corrupto aere ſermo habendus eſt, de ſuperiori non intelligendum, prout puriori, & incorruptibili, ſed de inferiori, qui nos circumdat, ut ſcripſit Avic. 2. *p. tract.* 4. *cap.* 1., & *tom.* 1. *lib.* 1. *Fen.* 2. *doctr.* 2. *cap.* 9. *pag. mihi* 97. *nos namquè cùm aerem dicimus, nolumus dicere aerem ſimplicem nudum, quoniam ipſe non eſt*

aer, qui nos circumdat, quare ſi inventus fuerit purus, fortaſſe erit alius. Quod conſonum ſanè videtur una cùm Ariſt. ſententia in 4. *Methaph. text.*, & *Conc.* 5., ubi docet, quod cùm putreſcunt, & corrumpuntur elementa, non ſunt ampliùs ſimplicia, ſed á propriâ ſimplicitate, & naturâ receſsêre, & impura jam ſunt, & alteri rei permixta, undè dicendum eſt, quod aer variam primarum qualitatum in peſte mutationem ſubire ſolet, multaque inquinamenta, tamquam ſparſa morborum ſemina excipere, undè Galenus *de Ther. ad Piſon* ait, *prava quædam aeris ad corruptionem prompta mutatio in peſte efficitur*; quod ut clariùs perpendatur notandum brevitér eſt, quod ſicuti putrefactio, & corruptio per hoc differunt, quod prima ſolis mixtis convenit, corruptio verò elementis, & mixtis; hinc numquam aer, qui in peſte inficitur, putrefactus dicendus eſt, ſed tantùm corruptus, præviâ ſcilicèt ſuorum accidentium mutatione.

Ex quâ verò cauſâ talis aeris mutatio,

& à propriis elementaribus qualitatibus alteratio conſequatur, Auctorum varias examinaturus ſententias, præmittendum ſanè cenſeo, quod ferè ſinguli unà cum Galeno *lib.* 1. *de febr. c.* 4. in hoc conſentiunt, quod ex plurimis cauſis aer infici poteſt, ac peſtilentem conſtitutionem recipere, quæ tamen communiori ſingulorum ſuffragio, ad tres reduci ſolent. 1. *Ad cadaverum ſcilicet inſepultorum copiam.* 2. *Ad immotam, paludoſam, ac putreſcentem aquam.* 3. *Ad Terræmotus.* *Ex quot cauſis alteratur aer.*

I. Ab *inſepultorum cadaverum copia* progignitur peſtis; ab his enim tetri, ac putridi, dirâque labe fœdati vapores elevantur, ex quibus aer inficitur, atque vitiatur, ut anno circiter 1562. (juxtà Platinam) Italiæ contigiſſe docet Sigonius *lib.* 14. *Regni Ital.*: cùm ſcilicet à Federico Primo Victorem Pontificem contra Alexandrum Tertium Antipapam defendente, ac Italiam devaſtante, novem millia Romanorum unicâ die cæſa fuerunt, ex quorum inſepultorum Cadaverum putre- *Cur & quomodo cadavera in ſepulta peſtem producere poſſunt.*

tredine, ſæviſſima excitata fuit peſtilentia.

Ità refert etiam Turoſius in *Hiſtor. Ungar.* (ſi Carolo Valeſio *in ſuis comment.* de *peſte ad Alexand. VII. P.M. pag. mihi* 44. credendum eſt) quod cùm Huniades propè Belgradum Turcarum Imperatorem Maomettem II. anno 1454. certando profligaverit, ab inſepultis eorumdem cadaveribus horrida peſtis Belgradenſes invaſit.

Neque omittendus fatalis caſus hic eſt, quem Bononienſi in Suburbio peſtilenti anno circiter 1629. contigiſſe deſcripſere quàmplures, & præcipuè præſtantiſſimus Vincentius Alſari Croci *in ſuo tract. de Peſtis preſervat. pag. mihi* 103. mihique ipſi, cùm Bononiam duobus ab hinc annis adieram, à nonnullis fide verè dignis relatus fuit, cùm ſcilicet ſuper *cadavera peſte infecta* diù dormierit Canis, & ſubindè aquam marmoreo in vaſe, à quodam Colono, pro Boum uſu collectam, potaſſet, non ſolùm Boves ad eamdem conſueto more adducti bibere renuerunt,

runt, ſed cùm à prædicto Colono, alioque ejus Famulo manu dicta aqua agitata fuiſſet, iidem brevi horæ intervallo perempti cecidêre; tanta enim eſt cadaverum peſte extinctorum fatalis energia, ac venenata conditio, ut mediâ peſtilentis meaſmatis analogâ qualitate, alios adeó inficiat, ut brevi interficiantur.

Quoniam autem ſuperiori pag. 62. inter peſtem preſagientia ſigna, *Locuſtarum copiam* aſſignavi, mirabilem earumdem Hiſtoriam à D. Auguſt. *lib.*4. *de Civitate Dei ad Marcelinum c.*31. relatam, præterire nequeo, *Locuſtarum* ſcilicet in Africâ, prodigioſam multitudinem, quæ poſtquam fruges, fructus, arborumque folia conſumpſerint, ingentis, ac teterrimæ nubis ſub ſpecie, in Mare ſe ſe dejecerunt, quæ littoribus indè reddita, tam immanem earumdem corruptione peſtilentiam effecere, ut in ſolo Maſſiniſſæ Regno 80. Hominum millia perierint. Alia Locuſtarum ingentiſſima copia totam Galliam anno 1374. devaſtans, & ventorum

torum impetu in Mare ſubmerſa, & ad littora ſubindè rejecta, fœtidiſſimam putredinem cum maximâ peſte producens, à Hyacinto Alpherio in lib. 1. de peſte ſatis clarè deſcribitur.

Ità pariter atrociſſimã Romæ peſtem ann. 590. à me ſæpè repetitam, & ab eruditiſſimo Platina, in Pelagii II., & Gregorii I. Pontificatu deſcriptam, non potentiùs productam fuiſſe docent Hiſtorici, niſi quod ex inferiùs repetendâ Tiberis vehemẽtiſſimâ excretione extrâ flumen *mortuus Draco cum parvulis Draconibus* aerem inficientibus derelictus fuit, quarè deducendum eſt, numquam, ſed peſtilenti præcipuè tempore propè Cęmiteria habitandum, ne putrefacti Cadaverum halitus aerem, quem reſpiramus, inficiant; verùm etenim eſt, quod ab Hominum cadaveribus corruptus aer Homines ob veneni, & particularum ſymboleitatem potiùs inquinabit, quàm reliqua animantia.

A fetidis aquis aer corrum-

II. Inficitur aer *ex immotâ, putridâque ſtagnante aquâ*, ex quâ non minùs, quàm ex Cloacis, cęnoſis locis, plan-

tis,

tis, ac animalibus in copia putreſcentibus, publicarum viarum excrementis, ac ſterquiliniis, nec non ex terræ penetrabilibus, ſepulchris, antris, voraginibus, aliiſque ſubterraneis locis inferiùs deſcribendis, ex quibus omnibus fœtidi, impuri, ac peſtilentes efferuntur vapores, à quibus aeris qualitates alterantur, ac inficiuntur. Talis lenteſcentium aquarum, ac fœtentium paludum maligna qualitas mirificè à Senecâ explicatur his verbis, *aquæ inutiles, peſtilenteſq; in abdito latere craſſæ, & gravi caligine, ſempiternâque tectæ, nihil niſi peſtiferum in ſe, & corporibus noſtris contrarium habent; aer quoque, qui admixtus eſt illis quippè inter illas paludes jacet, cùm emerſerit, latè vitium ſuum ſpargit, & viventes necat.*

pì poteſt & aliis de cauſis putreſcenſibus.

III. Addendi ſunt Terræmotus, quorum fragore in reconditis terræ cavernis putridi retenti vapores exhalant, aeremque inficiunt, eumque reſpirantes coinquinant. Huc conveniunt Terræmotuum hiſtoriæ, quæ ſuperiùs, ubi de

Terræmotut Peſtis cauſæ, ſicuti & alii fœtidi vapores.

ſignis

ſignis egi, relatæ fuere. Idem dicendum de abditorum locorum aperturis, à quibus venefici exaltantur vapores, ut contigit Romæ anno 1578. & anteà anno 1535. Venetiis eveniſſe docet Nicolaus Maſſa *lib. & cap.* 6. *jam citato pag. verò* 18. ubi ſæviſſimam peſtem dum littorum paludes, atque Cavernæ *Luporum* dictæ fodiebantur, enatam deſcribit, undè clarè diſſeruit Arabum Princeps *tom.*2. *lib.*4. *Fen.* 1. *tract.*4. *cap.*1. *pag. mihi* 66. his verbis, *& quandoque accidunt putredines in inferioribus terræ, propter cauſas, quorum eventus ignoratur & nocere faciunt aquam, & aerem*. Hinc celebris eſt peſtis, quæ anno 1342. Venetiis pariter ob terribilem Terræmotum, ex quo quã plurima corruere Ædificia, tam immanis conſecuta fuit, nec non quæ ab Amiano Marcellino *hiſtor.*73. refertur, dum ſcripſit, quod ex vetuſta in Apollinis Templo in Seleuciâ apertâ arcâ, tam contagioſus, & peſtilens ſpiritus exhalavit, ut funeſtiſſimam, atque horribilem excitaverit peſtem, quæ Græ-

cis, Parthis, Italis, & toti ferè Orbi communicata, tertiam Hominum partem necavit, quod confirmat etiam dictus Ripa *pag.*37. quod pariter de aliâ peſte Galeni tempore contigiſſe inquit Cardanus *lib.*2. *de venenis*, nec aliter propagata hæc fuit, quàm ex aureæ arcæ apertione, ex qua adeò pravus peſtilenſque fuit hiatus, ut quamplurimos Milites ſtatim interemerit, ac per multas Regiones erraverit. Hinc fit, quod Plinius *lib.*2. *cap.*93. ex Charoneis, Baratris, & Puteis diutiùs occluſis peſtiferum, & læthalem ſpiritum exhalantibus, peſtem prodire teſtetur; quarè non mirum ſi Gal. *in libr. Hypp. de nat. hum. com.*2. aſſerat, quod quandoque etiam ex ſolo ſpiritu, quem reſpiramus, lædimur, ut in locis, qui *Charonei* dicuntur, & iis præcipuè, quibus inſignis aliqua terræ apertura conſequitur, ex qua propter corruptum diutiùs ibi retentum ſpiritum, fætida quoque animalia in eiſdem ſtabulantia, ſemiviva egrediuntur, & ab eorum nece, prout à putrefactis cadaveribus,

inſignis,

inſignis ad aeris corruptelam elevatur, atque emittitur.

Ex his ergò tribus ut plurimùm cauſis, vel ex alterâ earumdem, maligni, putridi, ac corrupti exaltantur vapores, auræ, & halitus, ex quibus aer ſæpè inficitur, ac peſtilentem indolem recipit, Hominesq;, vel Animalia, prout eiſdem magis analoga eſt, interficit.

Reijcitur opinio ab Altomar.

Verùm antequam ulteriùs progrediar cum univerſaliori Veterum, & Neotericorum ſententiâ reijcienda eſt ab Altomar. opinio, qui *tract. de medendis febr. peſtil. cap.*30. in omni peſtilenti conſtitutione *putrefactum aerem*, & ſecundum ſuam ſubſtantiam à manifeſtis, nulloque pacto occultis cauſis *corruptum* conſtituit, cujus opinionis falſitas per hoc ſatis innoteſcit, quod ſi ſecundum ſuam ſubſtantiam corrumperetur aer, cuncta devaſtaret, & perimeret Animantia, & Homines, & fætidus ſemper eſſet, qualia ſunt omnia eſſentialiter putrefacta. Inſuper ex Gal. *lib. de propr. libert. cap.*2. deterior

Aer non inficitur ſecundum ſuam ſubſtãtiam.

rior

rior illa peſtis eſt, quæ hyeme inchoatur, quo tempore ab omni putrefaciente, & corrumpente calore deſtituitur aer, undè alterari dicendum eſt, non eſſentialiter putrefieri.

Mercatus duplicem peſtis cauſam aſſignat.

Mercatus in *lib.7. ſuæ prax. de Febre peſtil. in cap. de ejuſdem cauſis*, duplicem peſtis cauſam aſſignat; *aeris* nempè, & *victus* vitia. De alimentis inferiùs agam, nunc tantùm de aere, qui communior peſtis cauſa eſt, tùm quia ſingulis communior, & inevitabilior exiſtit, tùm quia in ſe majores alterandi vires habet. Verùm neque credendum eſt eamdem aeris labem, ac infectionem ſingulis eſſe communem, ac ſingulis locis æqualem; quamquam enim aer omnibus communis ſit, corpus autem à corpore, natura à natura differt, neque ſingulis vel eadem, vel ęqualis ejuſdem eſt conditio, dum multi, & quàm plurimi ex hominibus ſuperſtites remanent, tùm quia ſingula pariter animantia perirent, cùm è contra ut plurimum peſtis, quæ hominibus infenſa eſt, animantia, vel

Non eſt ſemper, & omnibus idem aeris vitium.

pauca,

pauca, vel raro, occidit, imò alicui potiùs ſpeciei communem eſſe, & familiarem, quàm alteri conſpicimus, & ſæpiùs pecora devaſtare intuemur, ut ſuperiùs jam innui, non autem homines, ſæpè fruges, aut arbores, aliaſvè viventium ſpecies, reliquis ut plurimùm illæſis, cujus rationem, prẹter jam explicita, tum Hipp. in *ſuis Epid.* tum Lucret. *in* 6. *de nat.* & Gal. *lib.* 1. *de morbis popul.* ad aerem, & variam corporum diſpoſitionem reducunt, quarè Galenus cit. loco ait, *Popularium pernicioſiſſimi ſunt, qui peſtilentes vocantur, qui perindè ac totum popularium genus ex aeris ſtatu profecti ſunt.*

Verùm ex venenoſæ ſubſtantię admixtione aerem alterari, ac infici docet Mercatus, & dupliciter fieri in ſuperiùs *citato loco pag. mihi* 588. deſcribit, quod à Zacuto *tom.* 1. *lib.* 4. *pag.* 765. confirmatur, vel ſcilicet ſecundum ejus *qualitates*, vel *ſecundum totam ejus ſubſtantiam*, quæ à Medicis *occulta* appellatur. 1. *Alteratio eſt* vel cali-

Quomodo aer alteretur.

caliditatis, vel frigiditatis, aliarumque qualitatum exceſſus, vel diverſa temporum mutatio, ut ſuprà dixi, quæ morboſa ſemper ſubſequitur, quo pacto in calidiſſimis aeris, ac temporum conſtitutionibus, aliquando Autumno pluvioſo peſtilentes, & malignæ febres vagantur, ut notat Gal. 3. *Epid. ſect.* 3. *com.* 57. ſicuti aeris caliditatem peſtem ferè ſemper antecedere idem teſtatur in *lib.* 1. *febr. cap.* 4. Talis ergò caliditatis, aliarumque qualitatum alteratio Populares, & communes morbos ut plurimum efficit, non peſtilentes, dum iſti tum in qualitatibus, tum in ſubſtantiâ manifeſtam alterationem requirunt, illam etenim, ut Corpora peſtilenti Contagio aptiſſima reddat, hanc verò, ut magnam, ſordidam, & contagioſam putredinem, peſtilentiæ ſobolem perficiat.

Hujuſmodi autem alterationes duplici de causâ produci poſſe demonſtrat, vel *Cælitùs* infeſto accepto principio, vel à *terreſtribus, putridis emiſſis vaporibus, ut cadaveribus, lacunis, paluſtribus,*

ſtribus locis, & reliquis ſuperiùs allatis; quod autem aeris vitium à *maligno Cœli*, & Syderum *aſpectu* prodire poſſit, ſatis ſuperiori capite, de peſtis ſignis, quæ ex Cælo deſumuntur, explicui, ut docet etiam Avicennas *tom.*2. *Fen.* 1. *lib.*4. *tract.* 4. *cap.* 1. *de febr. peſtil. pag. mihi* 66. his verbis, *& principium horum omnium ſunt formæ ex formis Cœli facientes. Neceſſarium illud, cujus adventus ignoratur*; & paulò inferiùs ait, *oportet, ut ſcias, quod cauſa prima longinqua ad illud, ſunt figuræ Cæleſtes, & propinquæ diſpoſitiones*, imò Syderum aſpectus modò ſalutares nobis eſſe, modò infeſtos probat Gal. *lib.*3. *de diebus decret. cap.*6. *pag. mihi* 159. *ſi etenim Luna ad Planetas temperatos ſteterit, fauſtos & bonos dies producet, ſi ad intemperatos, graves & moleſtos*, ut confirmatur etiam à Fernel. *pag.*50.

Utrum peſtis à maligno Siderũ aſpectu ſivè poſſit.

Senertus licèt in *libr. de Peſte* ejuſdem cauſam penè inexplicabilem aſſerat his verbis, *qualis ſit ſpecifica peſtilentis veneni cauſa, & natura, nemo*

Opinio Senerti

un-

unquam explicare potuit, & profectò talia ſunt, quæ latent animos temperatos, & illudunt curioſis, tamen in *lib.4. de febr. cap.2.* ſingulas peſtis cauſas, ad duas claſſes reducit, & alteras *generantes*, alteras *propagantes* appellat; inter primas, *aeris* peſtilentẽ conſtitutionem refert, malignos *ſyderum* aſpectus, *victus communis* vitia, & *veneficia*, unà cum terrore, & triſti imaginatione; *Propagantes* verò ad ipſum aeris Contagium reduci. Aeris verò vitia explicando, maligna, ac peſtilentialia in eodem ſemper ſtatuit ſeminia, ſæpè verò ab inferioribus communicari, quod probare ſtudet per hoc, quod plurimi aerem illum attrahentes, ſubitâ, & inopinata morte enecantur; neque tamen neceſſarium eſt, ut totus aer venenatus ſit, aut veneni naturam induat, ſed ſufficit peſtilentiæ ſeminia hinc inde diſperdi.

Quæ ſit peſtis cauſa generãs, & propagans.

Ex hiſce omnibus hùcuſque brevi prolatis, duo mihi ſpectanda ſunt.

I. Quodnam in aere vitium requiratur, ut peſtilens fiat.

II. Undè tale vitium aer contrahat, & in homines propagetur.

Quodnā vitium in aere requiritur, ut peſtilens ſit.

Quoad primum, alii ex primarū qualitatum alteratione, prout in calore, & humiditate excedunt, aerem corrumpi, & infici poſſe teſtantur juxtà *Gal. 2. claſſe libr. 1. de differentiis Febr. cap. 4. pag. mihi* 30. his verbis *ſic & cum aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, ac humiditatem immodicè fuerit converſa, peſtilentes quidem oriri morbos eſt neceſſarium*, ut ab Hip. 3. *epid.* confirmatur; omnis enim putredo, vel corruptio, non niſi ab humidâ, calidâque cauſâ, ac in humido, calidoque ſubjecto effici poteſt, quod ipſamet teſtatur experientia, nam quæcumque à putredine præſervantur, hæc vel ſale, vel muriâ, aceto, alioque exſiccante præcaventur, undè nil mirum quod Boreas, qui naturâ ſiccus, frigiduſq; ventus eſt, omnia diù à putredine liberet, contrà veró Auſtrino flante facilè putreſcunt, quia calidus, & humidus difflat. Ad talem qualitatum in aere mutationem coadjuvant,

ut

ut plurimum ingentes, & copioſę pluviæ, ex quibus tetri, humidique ad Cęlum elevantur vapores, & id maximè ſi fluminum excretiones cum copioſis inundationibus conſequantur. De pluviis inter nonnullas auctoritates, mihi ſatis ſufficiant Hipp. verba dum pluribus in locis, & præcipuè in *lib.* 1. *Sect.* *& ſtatu* 2. ait in *Thaſo paulò antè Arcturum, & ſub Arcturo multæ, & magnæ, ſpirante aquilone pluviæ, & peſtis graviſſima tunc graſſabatur*, quod Hiſtoriis paritèr comprobatur, ut conſtat de peſte, quæ Romam anno 590. in fine Pontificatus Pelagii devaſtavit, tunc enim aſſiduis pluviis adeò excreverat Tyber, ut Urbem ferè totam occupaverit, quod paritèr cum infenſiſſimis peſtilentiis contigiſſe, ſatis ex Platina probatur anno 611. ſub Bonifacio IV., & annis ante adventum Domini 327., & 363. ex Livio *lib.* 7., & Valer. Max.

Verùm cùm peſtilentię quidditas non in caliditate, aut humiditate excedenti conſtituatur, dum calidiſſimus ſæpiſſimè *Qualitatũ in aere exceſſus,*

& alterationes præparantes peſtis cauſæ ſunt, non efficientes

mè annus contigit abſque ulla, aut Peſtis, aut Contagii ſuſpicione, ut præter experientiam confirmat Fernelius *lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap.* 13. dicens, *annus ab hoc ſecundus, omnium, quos majorum memoria noverat toto Orbe ferventiſſimus fuit, maximè tamen ſalubris obtigit*, hinc talis caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ac ſiccitatis exceſſus non *efficientes, & adæquatæ* peſtis cauſæ dicendæ ſunt, ſed *præparantes*; ubi enim *annus auſtrinus, pluvius, & à ventis in totum ſilens*, juxtà Divinum Senem *citato* ſuperiùs *loco*, extiterit, multos ad aerem elevari vapores neceſſe eſt, undè cum ab excedenti humiditate diſcuti nequeunt, facilè tunc putrefiunt, & corrumpuntur, aeremque faciliùs ad infectionem diſponunt, eodem ferè pacto, quo humida, & calida aeris intemperies eximiam in humoribus, & corporibus corruptelam efficere ſolet, Febres tamen, vel acutas, vel malignas *per ſe* inducere nequit, ſed altera *impellens* cauſa de neceſſe requiritur, cæterùm omnes in

Quę ſint iſtę cauſæ adequatę, & præparantes peſtis.

eadem

eadem pravâ aeris conſtitutione eâdem febre laborarent. Ità Peſtem *ab aere infecto* provenire dicendum eſt, cum non ſolùm in qualitatibus primis aiteratur, ac in eodem peſtilentialia ſemina, & inquinamenta nobis adverſa vel immittuntur, vel generantur, ſed cùm nonnulla etiam noſtris in corporibus, ad tàm infeſtos, & malignos recipiendos influxus, prævia tùm ſanguinis, tùm corporum, ac humorum adeſt diſpoſitio, ut fuſiùs inferiùs aſſeram. Quod autem id de aere non ut corpus ſimplex, & purum elementum eſt, ſit intelligendum, ſatis clarè ſuperiùs explicui, talitèr enim ſumptum ad peſtis generationem non concurrit, ſed de inferiori tantùm dicendum eſt, pro ut varias à terrâ recipit exhalationes, ac hiſce permixtus infici poteſt, ac corrumpi; aut à ſuperiori intrinſeco venenato, & ingenito meaſmate, inquinatur, & peſtilens evadit.

Quomodò autem talia veneficia, & peſtilentialia inquinamenta in aere generentur, ac incitentur, ſinguli, ut plu- *In aere quid occultum requiri-*

tur, ut peſtem efficiat, & illud ex Cœlo eſt.

pluries jam expoſui, ad *occultas* Cœli, & ſyderum cauſas reducunt, ut teſtatur Sydenam in *ſect. p. cap. 2. de morb. epid. pag. mihi* 38. his verbis, *variæ ſunt nempe annorum conſtitutiones, quæ nequè calori, nequè frigori, non ſicco, humidove ortum ſuum debent, ſed ab occultâ potiùs, & inexplicabili quadã alteratione, in ipſis terræ viſceribus pẽdent, undè aer ejuſmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic, aut illi morbo addicunt.* Hoc autem *occultum* ab Hippoc. *pr. progn. text.* 4. *Divinum* appellatur his verbis, *cùm homines intereunt, alii priuſquam adhibeant Medicum ex vi morbi, nonnulli adhibentes Medicum ſtatim moriuntur, oportet agnoſcere talium affectionum naturam quantum ſuper corporis vires ſint, paritèr ſi quid Divinũ in morbis habetur, illius quoque ediſcere providentiam*; quamquam enim hoc *Divinum* ad occulta Deorum ſuffragia reducere potuerit Hipp., nonnulli tamen de Cęli, Syderumque malignis aſpectibus intelligere ſolent, ut ex Avic., & Galeno locis ſuperiùs pluries citatis innoteſcit;

imò hanc qualitatum in aere alterationem, & venefica è Cœlo, & ſyderibus immiſſa ſeminia, brevi non minùs, ac eleganti textu confirmat Fernel. *lib.* 2. de *abdit. rerum cauſ. cap.* 12. *pag. mihi* 100. dicens, *cęlitùs autem fiunt in aere affectiones, conſtitutioneſque duplices; aliæ ſunt qualitatum exuperantiæ, vel inæqualitates, ex temporum, & tempeſtatum mutatione, ex quibus putredines plurimùm graves, & alia ſunt inquinamenta cœlitùs demiſſa* : & in lib. 4. *de febr. pag.* 257. ait, *peſtilentis autem febris cauſa eſt pernicies, venenataque qualitas, è ſublimi, cęlitùſque in aerem demiſſa, quæ quaſi furibunda paſſim evolat in vulgus.*

Quomodo ex aeris vitio peſtis inter Hominis oriatur.

Quomodo autem ex corrupto aere inter homines peſtis propagetur evidens eſt, dum ex inſpirato ambiente venenum intùs inducitur; & unde ſalutis aura hauriebatur, maligna mortis cauſa introducitur, quæ vel citò, vel lentè enecat, pro ut magis, vel minùs intenſum adeſt venenũ, quod mirum in modum à dicto Fernel. *ult. cit. loco, & pag.*

hiſce

hiſce verbis explicatur, *quia enim peſtilentiæ ſemina aeri inſperſa, inſpiratione, perſpirationeque introſubeunt, ſi cor affectioni pręparatum eſt, indè verò arteriarum ſpiritus, poſtremò humores, corpuſque univerſum labefactat*, quod pariter à pręſtantiſſimo Sydenam *ſect.* 1. *cap.* 1. *de morbis acut.* in genere, *pag. mihi* 34. planè explicari videtur, dum ait, *quæ quidem partim ab iſtis aeris particulis naſcuntur, quæ cum corporis humoribus malè convenientes in idem ſe inſinuaverint, nudo ſanguine permixtæ corpus omne morbifico afflant contagio*: & cap. 2. *de morb. Epid. pag.* 39. ſubdit, *fatendum tamen eſt prædictas aeris qualitates corpora noſtra ad hujus, illiuſve morbi Epidemici generationem, magis, minuſvè diſponere.* Huc maximè conferrent ſingulæ ſuperius relatæ auctoritates, & præcipuè Zacuti, qui tùm illic *citato loco*, tùm *lib.* 2. *ejuſd. to. qu.* 47. *dub.* 52. *p.* 338. ab infecto inſpirato aere primò Cor veluti ſedem, ac vitæ domicilium infici, indè ſpiritus, & vires labefactari humores

corrumpi, imò non rarò Ægros ſyderatorum more concidere deſcribit. Humorum etenim corruptelam ex ipſo inſpirato, & corrupto aere humano in corpore neceſſariò induci, nemo tùm ex Veteribus, tùm ex Recentioribus eſt, qui non admittat, imò adeò intenſa, inſignis, atque excellens eſt hęc putredo, ut reliquas omnes putredines longè ſuperet, quod ſanè ab Hippocr. 3. *Epid. ſect.* 3. dici videbatur his verbis, *pleriſque horum in conſtitutione illâ peſtilenti, ſuppurationes, abceſſus atque Carnis multum, & oſſium, nervorumq; decidebant*, quæ omnia non minùs malignitatis, ac putredinis indicia referuntur, dum ex Galeno *malignitas abundantis humoris, ex magnitudine conſiſtit putredinis*. Sicuti ex eodem 2. *de loc. aff. cap.* 7. ab ingenitis non rarò venenis peſtem produci poſſe innoteſcit.

Peſtis pręter aerem oritur etiam à malo victu.

Ab aeris labe ad victus & alimentorum pravitatem deſcendendo, ſingulis patet quantùm ad impuros, ac putreſcentes progignendos humores mala

cjuſ-

ejuſdem ratio conſpiret, ut plurimis in locis aſſeruit Galenus, ſed præcipuè in *lib.2. de nat. hum. text.3. & 1. de diff. febr. cap.3.* nec non in *libro de cibis boni, vel mali ſucci cap.1.* Ità Mercatus ſuperiùs *citato loco* alimentorum vitium *inevitabiliter neceſſarium* addit, undè Hippocr. *lib. de flat.* ſingulorum morborum, & præcipuè peſtilentium cauſas ad *victus*, & *aeris* depravationem reducit, non quidem quòd cæteræ res non natutales morborum cauſæ exiſtere nequeant, ſed *præcipuas* has vocat, quia *inevitabiles*. Aer enim, & victus citrà vitæ periculum diù removeri non poſſunt, faciliùs autem ſomnum, & animi pathemata abſque diſcrimine compeſcere poſſumus; cùm enim non minùs alimentis utendum ſit, quàm ipſo aere, hinc ſi illa corrumpantur, ſanguinem inficiunt, & peſtilentem naturam facilè acquirent; imò Hippocrates in *lib. de nat. hum. text.8. & 9.* aït, *morbi fiunt partim à vivendi ratione, & partim à ſpiritu, cujus attractione vivimus*, & Wiliſius in *lib.*

de febr. cap. 12. inquit *rationi conſonum videtur, ut ab eiſdem fontibus, quibus vitæ communis pabulum exhauritur, etiam diffuſæ necis initia petantur.* Prava autem illa eſſe poſſunt, vel ex peſſima anni conſtitutione, vel à nebulis, vel à cœnoſis locis corrupta, aut à maligno ſyderum influxu inquinata, vel licèt optima ex natura ſint, aliquâ tamen ratione malignos ſemper producere humores neceſſe eſt, ac per conſequens ſanguinis maſſam inficiendo, majorem ad aereum recipiendum Contagium in eodem aptitudinem reddunt, & corruptelam, neque aliunde petenda eſt ratio, quàm ex ipſo Galeno initio 1. *Epidem.* dum mirificè ſcripſit, *frequenter accidit, ut per ingeſtos Cibos morbus communis Civitatem, vel Nationem, vel Exercitum pervadat, ſicuti neque per communes tùm occupationes, tùm labores, at continens nos aer ſi immoderatiùs calefiat, vel frigeſcat, vel humeſcat, vel ſicceſcat, Corporum ſimetriam, quæ ſanitas eſt, confundit, inturbat, ac corrumpit.*

Quomodo prava fiant alimenta.

Cùm ſequatur Peſtis poſt famem.

pit. Frequentior autem tantæ cauſæ violentia poſt *inædiam* ſævire ſolet, undè commune illud eſt *Peſtis poſt Famem*, quare Ripa J.C. *in tract. de peſte pag.* 37. ait *nihil enim, horribilius, & populo pernicioſius eſt ipsâ inædiâ*, ut ſuperiùs nonnullis auctoritatibus jam comprobavi, cùm enim tunc inops plebecula vilioribus, magiſque pravis cibis ſaturari cogatur, hinc inſenſi generantur humores, qui cum diù à natu â regi nequeant, tandem corrumpuntur, & peſtilentem indolem ſuſcipiunt, ut ſæpiùs in Romano Imperio poſt famem, atrociſſimas peſtes contigiſſe *citato* ſuperiùs *loco* docet Galenus: Dicendum tamen eſt peſtem ab ullâ Fame non produci, neque etiam ſequi quamcumque famem, ſed illam tantùm, quæ eamdem cum peſte cauſam habet, licèt in intenſionis gradu ſanè minorem.

Non producitur tamen à Fame.

Hæc autem communis cauſa, quæ ipſam famem concomitari debet, nulla alia eſt, niſi externa aeris corruptio, quæ fruges, & alimenta corrumpit,

pit, ac per conſequens humorum pravitatem ad peſtem facilè concipiendam producit, licèt enim hæc prava Ciborum, & humorum qualitas ad peſtem ipſam progignendam inefficax ſemper ſit, dum non peſtem, ſed peſtilentes ſolùm morbos gignere valet, ut cùm doctiſſimo Diemerbroek, prędictus aſſerit Lindelius in *lib. de febr. pag. mihi* 208. *ex alimentis pravis per ſe peſtis non oritur, ſed febris peſtilens*, hoc tamen concedendum ſatis eſt, quod humorum vitium ex pravo victu contractum, ſi cum aeris inquinamento copuletur, faciliùs ad peſtilentem concipiendam naturam confert, & graviorem peſtis intenſionem efficit, ut optimè ait Gal. *lib.* 1. *de diff. febr. cap.* 4. *pag. mihi* 30. *In peſtilenti aeris ſtatu inſpiratio, ut plurimum cauſa eſt, fit enim aliquando ob eos, qui ſunt in corpore humores ad putreſcendum paratos, cùm brevem aliquam occaſionem ad Febris originem, ab aere accepit animans.*

Talis autem pravorum humorum ad

peſtem

Peſtis ſæpè poſt fertilitatem, & quomodo.

peſtem præparatio, non ſolùm ex ipsâ Fame, aut ex ipſo depravato victu produci ſolet, ſed in ipsâmet ſummâ temporum, ac frugum fertilitate, quæ poſt longam famem ſubſequitur; corpora enim, quæ ſterilitatis tempore exinanita fuére, & vivendi copiâ adveniente inordinatè, ac immodicè replentur, cùm enervata ex prægreſſis jejuniis ſint, hinc cibum concoquere nequeunt, ſed pravis replentur humoribus, & facillimè ad peſtiferos morbos diſponuntur, quarè nil mirum ſi Avicennas *tom.* 1. *lib.* 1. *Fen.* 3. *doctr.* 2. *cap.* 7. *pag. mihi* 165. ſcribat, *ſcias autem, quod nil eſt deteriùs ſaturitate in tempore fertilitatis, quàm fames ſequitur in tempore ſterilitatis, & è converſo, ſed tamen converſio eſt deterior, vidimus enim multos, quibus in tempore ſterilitatis Cibus defecit, poſteá cùm in tempore fertilitatis abundaverit, repletos fuiſſe, & mortuos, licèt vehemens repletio in qualibet diſpôſitione ſit pernecabilis ſivè ex comeſtione, ſivè ex cibo, quot namque homines ſuperfluè*

ſe

ſe repleverunt, & ſuffocati interierunt? Qui textus cùm generalis ſit, peſtis tempori magis cõveniet, quàm alteri, & majorem probationis energiam in peſtilenti conſtitutione efficere debet, cùm ſcilicet unà cum aere inſpirato malignę citiùs, ac faciliùs ad ipſam peſtem humorum diſpoſitiones inducuntur.

Hanc autem Corporum, & humorum diſpoſitionem in peſte non minùs neceſſariam, ac in reliquis morbis, ſinguli unà cùm Galeno *citato loco* affirmant; ait enim, *nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioquin omnes, qui ſub ſole æſtivo, aut nimio motu, aut vini potu gravantur, febricitarent*, quod ex Avicenna confirmatur pariter his verbis, *& communicat multitudini hominum, qui iterùm habent in ſe ipſis proprietatem præparationis, agens enim ſolùm cùm pervenit, & patienti non eſt præparatio, non accidunt actio, & paſſio*; uti probatur etiam ex præfato Nicolao Maſſâ in *citato lib. de febr. peſtil. cap.6. & pag.* 16., ubi ſtellarum influxum ſine

In Peſte neceſſaria eſt corporum diſpoſitio.

ſine præviâ Hominum diſpoſitione inſufficientem aſſerit dicendo, *et ſi omnes ſtellæ cum virtutibus & proprietatibus eorum minarentur futuram peſtem, & corpora inferiora minimè parata eſſent, nullus ſequeretur effectus*, quod ab Augenio in *lib.* 4. *Epiſt. & conſult. Medicin. pag. mihi* 42. confirmatur his verbis, *Verùm haud illicò ponitur peſtis aeris poſitâ putredine, quid enim ſi Corpus præparatum non fuerit?* Talis autem præparatio, ex ſingulorum, & præcipuè Gal. conceptu, nil aliud per ſe intelligit, niſi ut corpora pravis humoribus plena ſint, nec non infirma, quarè prædictus Augenius *citato loco* ait, *corruptio ſubſtantiarum peſtilentiam verè facit, illius eſſentiam, & Caratheriſmum conſtituit.*

** Quid requiratur pro internâ corporis diſpoſitione.*

* Duo autem hæc requiſita diſpoſitio, & aptitudo neceſſariò requirit.

I. Similitudo generis.

I. *Similitudinem generis*. Peſtis enim, quæ Hominibus infenſa eſt, bruta non afficit, nec illa, quæ bruta cædit, oves, aliaque Animantia ut plurimùm perdit ſicuti anteriùs fuſiùs explicui, quod

fata-

fatalibus noſtris hiſce annis manifeſtè intuemur, dum inter Bruta ſoli Boves epidemicè intereunt, non autem Canes, aliaque Animantia, & præcipuè Equi, qui eodem nutriuntur alimento, eumdemque aerem reſpirant, quia neceſſaria talium corporum cum tali veneno analogia non adeſt; & ratio ab ipſo Hippocr. *in lib. de flat.* manifeſtè eruitur, dum ait, *differt corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento; Non enim omni Animantium generi eadem, aut non conferunt, aut commoda ſunt, ſed ſunt alia aliis magis convenientia; quando igitur aer hujuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana natura offenditur, Homines ægrotant, quando verò cuipiam alteri Animantium generi, aer non ſatis convenit, tunc morbus illud genus corripit.* Idem ſatis clarè confirmat prędictus Lindelius *citato loco, & pag.*209. his verbis, *quod evenit ob peculiarem naturæ proprietatem & ſimilitudinem, quàm habent corpora, quibus Contagium communi-*

catur ad illa quæ communicant, *nam communicatio*, *ſivè receptio per ſimilitudinem fit* : atque hinc eſt, quod.

In peſte requiritur Analoga quædã diſpoſitio.

II. Præter hanc *generis ſimilitudinem* quædam pariter occulta, & ſpecifica inter corpora inficienda, & infecta analoga diſpoſitio, & homogenea ſimilitudo exigatur, undè tale peſtilens venenum aliis magis infeſtum eſt, aliis minùs pernicioſum, alios verò non attingit; atque hæc potiſſimùm eſt cauſa, quod integræ Familiæ, in quibus ſinguli *ratione originis* hanc ſimilem, & analogam habent qualitatem, peſte extinguuntur, aliis quàmplurimis illæſis, undè Cardanus *lib.8. de rerum varietate de peſte Baſilienſi* meminit, in qua ſoli Elvetii, non Galli, non Germani, neque Itali affecti fuere, quarè Gal. 3. *Epid. com.* 3. ait, *ex naturæ proprietate*, *quidam à peſte immunes ſunt*, *licèt cum peſte infectis perpètuò vivant*, *alii licèt benè conſtituti*, *contagione tamen facillimè inficiuntur*, ut teſtatur pariter prædictus Sydenam *ſect. 2. cap.1. pag. mihi* 116.

116. dicens, *qui modò animadvertit unum eumdemque morbum certâ aliquâ tempeſtate infinitam mortalium vim corripere, ac epidemicum fieri, aliás unum, alterumvè Hominem afflixiſſe contentum ulteriùs non graſſari.*

In quo autem conſiſtat hæc *Corporum* ad peſtem recipiendam *diſpoſitio*, ſatis difficilè eſt inveſtigare, ut notat Fernel. *lib. de febribus cap.* 17. his verbis, *eſt cognitu difficillimum quid Corpus unumquodque peſtilentiæ obnoxium reddat.* Ità à prædicto Lindelio *loco citato* ſub *occultæ proprietatis* nomine talis diſpoſitio appellatur, poſtquàm enim corporum, & humorum ad peſtem pręparationem deſcripſerat, ità ait, *nulla enim cauſarum ſine patientis aptitudine agit, ſub quâ non ſolùm corporum, & humorum pravam diſpoſitionem, ſivè morboſum apparatum intelligere fas eſt, ſed etiam occultam naturæ proprietatem.* Licèt enim à nonnullis varia variè aſſignentur, ut corporum puritas, vel impuritas, particularum configuratio, vel locorum

In quo conſiſtat ad peſtem corporum diſpoſitio.

Eſt occulta talis diſpoſitio &

multis ignota. conſtitutio, tamen cùm Senes, & Juvenes, Mares & Feminæ, fortes, & infirmi, aliique diverſi generis Homines irregulariter inficiantur, imò cùm ſæpè qui cachochimi ſunt, & malè conſtituti, pravo victu enutriti, inter Ægros peſte fatigatos, ac fœtidiſſima inter excrementa, domoſque infectas immorantes, ſani tamen, & incolumes remaneant, & è contrà nonnulli robuſtiſſimi, temperati, ac benè viventes levi quâlibet primâ de causâ peſte corripiantur, hinc ſummè arduum arbitror, ac perdifficile tale diſpoſitionis genus aſſignare. Età ſe explicat Pigreus *in lib.8. prax.* (ut refert Diemerbroek,) *quamvis difficile ſit indicare, qualia corpora diſpoſita ſint ad Peſtem, attamen videmus illam magis quærere certam quamdam præparationem, quàm Cachochimiam, aut malam habitudinem, faciliùs enim ab illa inficiuntur corpora, quorum humores ad corruptionem apta ſunt, quàm alia, quorum humores corruptionem jam conceperunt, & videtur peſtis eſſe talis*

quali-

qualitas, quæ ſedem magis quærit in Corpore ſano, quàm aliis morbis obſito, quarè confitendum eſt peculiares dari Corporis, Cordis, Sanguiniſque diſpoſitiones, quæ peſtilenti ſeminio aliæ magis reſiſtunt, aliæ verò minùs.

Hinc ſpectabile mihi ſanè videtur, quod à Dionyſio Alexandrino *lib. 4. antiq. Rom. verſus finem, & lib. 9. poſt medium*, de quadam peſte refert, in quâ tantùm Feminæ, & Virgines, eæque vix natę inficiebantur, non autem Mares; & iſti è contrà in alterâ magis vexabantur, non autem Mulieres; ſicuti relatu dignum opinor, quod ab Hiſtoricis auctoritate graviſſimis de peſte anni 1348. ſub Clemente VI. Pont. Max., & anni 1360. ſub Innocent. VI. refertur, dum in prima Pauperes tantùm afficiebantur, in ſecunda verò ſolùm Divites, & Nobiles. Hoc autem non aliter provenire dicendum eſt, niſi ex internis analogis diſpoſitionibus, quarum qualitates *occultas* eſſe, & ignotas ſinguli ferè confirmant, ut pręter anteriùs dicta docet Plateus *Centur.*

poſt. quæſt. 42. his verbis, *quænam hęc objecti eſt diſpoſitio, ut lubenter edoceri cupio, ſic nos neſcire profectò fateor, licèt non ignorem hoc venenum pro varia corporis diſpoſitione variè agere*; & Fernel. *lib.* 1. *de abd. rerum cauſ. cap.* 12. hæc omnia ad cæcam, & occultam cauſam referens, poſtquam in *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 30. & *pag. mihi* 103. varias minùs ignotas cauſas, ac diſpoſitiones aſſignaverat, ut ſunt loca maritima, Auſtro ſubdita, calida, & humida, tetris infecta exhalationibus, magis quàm Mediterranea, aquilonia, ſicca, & contecta, ità magis Homines, qui calidi ſunt, & humidi multò ſcatentes humore, putredini obnoxii, patentiori laxoque corpore præditi, quàm frigidi, & ſicci, pauco, puroque humore repleti, corporeque moderatè laxo, & adſtricto conſtituti, ità denique mirificè concludit, *Quamquam autem hæc vera ſint, propria tamen, & peculiaris conſtitutio, atque pręparatio, quæ loca, vel corpora reddit peſti obnoxia, omninò nos latent,*

neque ſenſu, neque ratione, ſed ſolo eventu, & experimento comprehenditur. Quod pariter à Foreſt. *lib.* 6. *de febr. obſerv.* 9. *in ſchol. pag. m. hi* 163. eiſdem penè verbis confirmatur; undè nil mirum ſi Sydenam *in conſtitutione Epid. annor.* 1665., & 1666. *pag. mihi* 116. ità aſſerat, *at verò quæ, qualiſque ſit illa aeris diſpoſitio, à qua morbificus ille apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, quæ arrogans Philoſophantium turba nugatur, planè ignoramus.* Verùm tamen eſt quod ad talem *occultam* corporum ad peſtem *præparationem*, ſeù *diſpoſitionem* coadjuvandam, putreſcentium, ac corruptorum humorum proventus conferre maximè valet, dum ab his ſpiritus alterantur, concoquentium Viſcerum robur imminuitur, naturæ vires enervantur, undè ad peſtilenti reſiſtendum veneno impotentes magis efficiuntur, & facillimè inficiuntur; quarè peſtilentibus in conſtitutionibus, putridis ut plurimum morbis peſtis ipſa copulatur, ac perpaucos adeſſe cenſeo, qui peſte non

Quid coadjuvet & augeat corporum diſpoſitionem & præparet ad Peſtem.

lædantur, ſi putridis morbis aſſueti ſint, corruptiſque ſcateant humoribus, ut ſuperiùs Gal. auctoritate comprobavi, quare non impropriè *præparantes* ijdem dicendi ſunt, ſeù faciliùs, ac promptiùs ſuſceptibiles.

Hiſce ergò ad perfectam peſtis cauſarum dignotionem neceſſariis exaratis, ad Recentiorum ſententias deſcribendas deveniendum opinor; quare.

Opinio Diemarbroek.

Diemerbroek recentior non minùs, ac celebratiſſimus de peſte Scriptor, in eleganti ejuſdem tractatu hujus cauſam ad *maligniſſimum, venenoſum, occultum, ac humanæ naturæ pernicioſiſſimum meaſma*, vel A' DEO *primitùs aeri* demiſſum, vel in eo genitum, *vel per Contagium* receptum, & fermenti ad inſtar minimâ in mole eidem *communicatum*, ac per ejuſdem Regiones diffuſum manifeſtè reducit. *Aeris autem inquinamentum* non ad *aſtra, aliaque corpora malè influentia*, nec ad *varias temporum, vel tempeſtatum, viciſſitudines*, ut voluere Antiqui, refert, ſed ad *ignotum* DIVINÆ JUSTITIÆ

ſemi-

ſeminium, ex quo rot morborum ſegetes proficiſcuntur. Tales autem pravos *ſyderum influxus, Tempeſtatum irregulares motus, ac mutationes, nec non corruptas humi exhalationes, & auſtrales hyemis, veriſque ventos, & ſiccitates, ſecundarias veluti cauſas* appellat, ex quibus aeris & humorum quidem ad peſtem alterationes produci poſſunt, non autem peſtis, quam propriè DIVINUM MORBUM eſse clariùs probat, ut jam ſuperiùs expoſui. *Aerem* autem æquali veneni gradu univerſaliter tùm per totam ejuſdem naturam, & Atmoſpheram, tùm per locorum varietatem infectum eſſe negat, cæteroquin totus venenum eſſet, ſed ſuos gradus habere aſſerit, & pro majori, quod de die in diem concipitur inquinamento, adaugeri. Talem autem *aeris alterationem*, & minimarum ejuſdem particularum labem cunctis communem, ac infeſtam non eſſe dicit, quia omnia Animantia perimeret, ſed quamdam non tantùm *generis analogiam*, ut aliorum auctoritate fultus

tus anteriùs innui, *ſed corporum ſimilitudinem*, *agentis* ſcilicet cùm *patiente aptitudinem* neceſſariò requiri fatetur. Hanc autem *aptitudinem adveneni cum corpore inficiendo analogiam* referri negat, quia *analogia* non includit pugnam, quæ ſemper inter agens, & patiens intercedit, ſed quamdam homogeneitatem, niſi nomine *analogiæ* humorum, & corporum, ex prægreſſis narratis cauſis maligna quædam *diſpoſitio*, & ad venenum non ſolùm recipiendum *præparatio*, ſed eidem reſiſtendi *impotentia* involvatur, quæ ab ipſo ad peculiares cordis, corporis, & humorum diſpoſitiones, per quas fortiter, vel minùs peſtilenti meaſmati reſiſtitur, reduci ſolet. Tales autem diſpoſitiones explicando, non minùs ac reliqui Auctores in antecedenti pag. relati *ignotas* eſſe declarat. Cæterùm ſingula peſtis ſymptomata inferiùs deſcribenda ab eodem unanimiter admittuntur, & eorumdem cauſas ad talem aeris infectionem, à quâ tota fluidorum maſſa inquinatur, perverti-

tur, atque corrumpitur, reducit. Hæc præcipua ſunt, quæ aſſerit præſtantiſſimus *Diemerbroeck*, quæ ab eodem uberiori ſtilo diffuſa hìc brevi enarravi.

Helmontius in Peſte *Spiritum vitalem primariò* affectum oſtendit, qui cùm neceſſariò per Diafragmatis porros intret, & exeat, ſic primariò ad ſtomacum tendit, ſuamque in huius nutrimento ſiſtit impreſſionem, undè mox *Vomitus*, *Syncopes*, *Singultus*, aliaq; ex ſtomachi vitio producta ſymptomata promovet. Pro cauſâ verò naturali, ſeù materiali, vel efficiente, *Silveſtrem Spiritum* à venenato ſeminio inquinatum conſtituit. Tale autem *ſeminium* dupliciter agere ſentit, vel prout *extrinſecùs* advenit, cùm nempè totaliter, ac perfectè peſtiferum eſt, à *peſtilenti* ſcilicet vel *Ægroto*, vel *cadavere*, vel *alio loco inquinato* exhalans, vel prout crudum, ac imperfectum eſt; & ex *terræ fraciditate* introtrahitur, appropriatum indè fermentum, ac peſtilens gradatim venenum in nobis

Opinio Helmontii.

acquirens. Alibi quoque dicit *peſtem* eſſe *terroris venenum*, ejuſque ſedem, ſeù primarium locum in Hippocondriis conſtituit. Materiam autem peſtis non eſſe ſolidum corpus, vel viſibilem liquorem aſſerit, neque idcircò conſpicuam aliquam putredinem concipere, ſed *ſeparatum fermentum*, & ab *Archei* ſubſtantiâ alienum appellat. Quidquid autem in peſte occurrit, ut Antraces, Bubones, Puſtulæ, Exantemata, &c. peſtis materiam eſſe negat, ſed *quid productum* ex ipsâ, pro cujus remotâ causâ idem cum Veteribus aſſignat, *aeris* nempè *inquinamentum* ignem ſcilicet, *ipſum Archeum* pervertentem, & perturbantem. Peſtis autem, quæ per *contactum* invadit, licèt lentior ſit, quàm quæ ab univerſali causâ emanat, plerumque tamen lęthalis ab ipſo putatur, quia *inſitus* in membro *Archeus* hâc peſte interimitur, & pars in gangręnam deſinit.

Opinio Vvilisij Wiliſius peſtem *pro morbo Epidemico*, *contagioſo*, & humano generi *ſummè infenſo* conſtituit, *à venenato* *meaſ-*

meaſmate ab aere primariò aſſumpto, per Contagium dein propagato ortum trahente, ex quo ſpiritus extinguuntur, cruoris maſſa unà cum ſucco nerveo coagulatur, ſolidæque partes ob ſanguinis extravaſati corruptionem, mediis *Antracibus*, ſeù *Carbunculis*, *Bubonibus*, aliiſque ſymptomatibus ſyderãtur. E tali ſucci nervei, ſanguiniſq; grumeſcentis reſtagnatione, eorumdem in Corde, & vaſis motus ſtatim impeditur, undè ratione fermenti plus coagulantur, & niſi ſtatim ad corporis habitum projiciantur, cruoris liberum motum tunc inhibendo, mortem inducunt; unde *Carbunculos*, non aliter explicat, quàm quod ſint *tumores ignei* cum puſtulis circum ſe acerrimis, & erodientibus, dolore acuto Ægros infeſtantes, ſine ſuppuratione hinc indè ſerpentes, donec carnis lobos excutiant, ulcuſque cavum inducant.

Sylvius *venenatas* profert *particulas*, quæ vel cum *aere inſpirantur*, vel per Corporis porrulos ſive *aeri*, ſive *veſtibus* immixtæ, vel in aere volitantes, vel unà *Opinio Sylvij.*

cum

cum *alimentis* per os aſſumptæ penetrant, quæ prout intra cruoris maſſam introducuntur,& ſale nimis acri ,& volatili imprȩgnãtur, nimiam in ſanguine fluiditatem inducunt, ex qua ſuccorum diſſolutione, atque fluore unà cum nimio ſalis acris, ac volatilis proventu, Peſtis ipſa, ejuſque ſymptomatum cauſæ per ipſum exoriuntur.

Opinio Carteſij. Carteſiani idem cauſȩ genus unà cum Sylvio conſtituunt ; particulas autem quas aereas,ac volatiles ipſe appellat, ab eiſdem *arſenicales è terræ viſceribus evolantes*, & *aeris* ſubſtantiæ communicatæ, ſanguinemque pervertentes denominantur.

Ex quibus omnibus ſatis clarè innoteſcit totam Neotericorum ſententiam ad variam nominum combinationem reduci, & ſinguli univerſaliter idem *aeris* vitium, inquinamenta, & alterationem, modó per particulas, modò per igniculos, vel per moleculas intrò aſſumptas, vel inductas aſſignant, nec à cõmuniori Veterum conſenſu, niſi per nominum varietatem diverſificantur;

tur; Quare pro perfecta peſtis cauſarum cognitione, hæc ſufficere mihi videntur, dum pro hujuſce primæ Partis complemento ad frequentiora ejuſdem ſymptomata brevi exaranda, deſcendo.

CAPUT V.

De Peſtis ſymptomatibus.

Vix datur ſymptoma peſtem certè indicans.

A Peſtis definitione, ſignis, & cauſarum dilucidatione, ad ejuſdem ſymptomata, quæ concomitari ſolent, vel ſaltem poſſunt, deſcribenda devenio, quamvis illud ſanè certiſſimum juxta ſingulos ſit, quod ex nullo pathognonomico ſigno, vel ſymptomate, veram peſtis eſſentiam dignoſcere poſſumus, aut quo ſublato, illam quoque remotam indicamus, juxtà præfatam Gal. auctoritatem *cap. 2. de Ther. ad Piſ.* quòd peſtis cauſa cognoſcatur in genere, raro in ſpecie, idque vel ob venenatæ cauſæ diverſitatem, ac intentionem, vel quia ob occultam efficientis malignæ cauſæ, aut malignorum corporum varietatem eumdem ferè morem non ſervat; unde duo, vel tria ex his ſignis, nil certi de peſte ſæpè decernunt, interdum unum tantùm eamdem indi-

indicabit, & è contra ſæpè ex multorum unione, hęc erit conſtituenda.

Primum igitur, & inſeparabile graſſantis peſtis ſignum illud eſt, quod *quamplurimos, & ferè ſingulos invadat, plęroſque ex his jugulet*, ut præter Veterum, & experientiæ auctoritatem ſatis à Gal. exponitur, & ab Hippocr. 3. *Epid. com.* 30. *text.* 22. confirmatur, dum peſtilentes morbos deſcribendo ità ait, *ex qualibet morborum, quas ſupra recenſuimus ſpecie, complures ægrotabant, & moriebantur*, ut confirmat pariter *lib.* 2. *de nat. hum. tex.* 3. dicens *cum multi homines, hoc uno morbo, tempore eodem corripiuntur, in cauſa eſt arbitrandum, quod communiſſimum ſit quoque, quo omnes maximè utimur, id verò eſt, quo reſpiramus, præcipuè ſi plures moriantur.* *Communis plurimorũ mors.*

Secundum eſt *ſubitus* citrà cauſam *virium lapſus* cum violenta corporis exagitatione, imò frequenti non rarò per plures dies corporum ignaviâ, atque ſegnitie, aer. n. cùm putridus eſt, venenatus, ac peſtilens, ubi corpora ingre- *Summa virium jactura.*

ditur, omnes ferè vires labefactat; cùm enim peſtilens venenum Cordi primò, ut ſuperiùs aſſerui, adverſetur, ut inter plurimos docet Fernel. in *lib.2.de abdit. rerum. cauſ. cap.* 12. *pag. m.* 103. hinc vitale robur, pluſquam in alio morbi genere langueſcit, ac enervatur, & ſi cordis palpitatio, lipotymiæ, ſyncope, & ſumma omninó interna anguſtia superveniat, tunc totius corporis agitatio, & inquieta de latere in latus circum volutio, ſubſequitur.

Pulſus parvi, langui-di, & inæqua-les.

Tertium eſt *pulſuum qualitas* ; hi enim *parvi* ſunt, *languidi*, *frequentes*, *& inæquales* ; cùm enim peſtilens qualitas Cor ipſum invaſerit, pulſus de neceſſe languidi ſunt, & parvi; cùm autem jam invaluerit, velocitas ipſa aboletur. Advertẽdum autem eſt, quod Foreſtus in *lib.6. de morb. Epid. obſerv. xji. in Schol. pag. m.*168. poſt pulſuum celeritatem, & imbecillitatem deſcriptam manifeſtè ait, *Quibuſdam verò aderant pulſus ferè moderatis ſimiles, parumque præter naturam immutati, ac in eodem ſtatu permanentes*, quod

Sanorũ ſimiles

ex

ex Gal. 3. *claſ. lib. 3. de preſag. ex pulſ. cap. 3. pag. m.* 22. mirificè confirmatur his verbis, *Quidam enim ab initio ad finem uſque, alii ad totum morbum, probum pulſum habebant, qui præparum deflexiſſent à natura, qui quidem præ cæteros perierunt;* licèt autem Joan. Bapt. ab Elmontio (referente Diemerbroek) ingenuè confiteatur à pulſibus veram peſtis dignotionem haberi non poſſe, dicens, *nunquam potui ex pulſu, & urinâ quantumvis deſtillatâ peſtem noviſſe præſentem; urina enim, & pulſus nunquam apud meam ruditatem peſtem detexerunt;* hoc tamen manifeſtè dicendum, & intelligendum eſt de peſte, in quà venenum internum adeó eſt, ac intenſum, ut extinctis, ac reſolutis ſpiritibus, corporis tum internas, tum externas ſingulas operationes cæcâ quâdam, & abditâ venenatâ qualitate labefactat, præſentaneo veluti veneno homines ex improviſò interficit, cùm ſcilicet ſine ullo doloris ſenſu, ſed ſummâ anxietate, & angore inopinatè Cor premit, unde interitus.

Quando fallaces ſunt pulſus.

Exantemata. Quartum eſt *Exantematum* foras *expulſio*, quæ pro veneni majori, vel minori intenſione, modò *rubra* ſunt, modò *livida*, & modò *nigra*, quæ perniciosiſſima eſſe docet Gal. in Hiſtoria *Critonis* apud Hipp. *lib.* 1. *Epid. ſect.* 3. *text.* 26. qui puſtulis nigris ad pollicem erumpentibus mortuus eſt, quod de *Sileno lib. primo Epid. ſect.* 3. *text.* 19. confirmatur.

Eorum cauſa. Talium exantematum cauſa non ad aliud à Neotericis refertur, quàm ad exiliores coagulati ſanguinis portiones, ac in cute defixas minora virulentiæ, fœnomena, quarum alię in papulas ſæpè convertuntur, aliæ in purpureas maculas concreſcunt, & aliæ ob majorem corrupti ſanguinis virulentiam nigricantes, ſuppurantur. Harum expulſio rariſſimè ſalutaris dici poteſt, quia criticæ denominari ſanè nequeunt, ſed ſymptomaticæ, prout oppreſſæ naturæ indicia, ut clariſſimè teſtatur Foreſt. in *lib.* 6. *de morb. Epid. Graſſant. obſerv.* xii. *pag. mihi* 169. *in ſchol.* his verbis, *nec arbitror has maculas in peſte per*

viam

viam criſis contingere, ſed ſymptomaticè, cùm nulla hactenus fuerit macularum occaſione ſecuta criſis, nec enim tam modica eductio tantæ moli ſufficeret, ut Criſis ſequatur.

Quintò *Carbunculi*, *Antraces* à Græcis dicti ſpectandi ſunt, qui ab exiguâ ut plurimùm puſtulâ milij ad inſtar exoriuntur, ac ſępè ſępiùs pluribus inter ſe unitis conglobantur, cum maximo in primis pruritu, inde rubore, ardore, ac dolore poſteà vehementi, quibus ſenſim ſine ſenſu adauctis, veluti cauterio inflicto, nigrum ac cinericium acquirunt colorem, unde pars corrupta excidit. Ab Avic. *Pruna*, *&* *ignis perſicus* definitur Carbunculus, tum quia caro nigra fit, & à prunà quaſi aduſta, & veluti ab igne combuſtæ partes exuruntur. *Carbunculi.*

Antraces à Gal. intrà ulcerum genera adſcribuntur, dum in *Com. ad* 6. *aph.* 45. ſic ait, *Antrax* eſt *ulcus cruſtoſum, cui adjungitur multus partium circunſtantium fervor*, & lib. 5. *de comp. Med. c.* 15. *p.m* 128. addit, *carbũculus eſt* *Antraces.*

ulcus cruſtã, citò cum valida inflãmatione circunſtantium particularũ inducens. Hi ut plurimum venenati ſunt à ſeculento, craſſo, & effervescẽte corrupto ſanguine, ac ob aduſtionem in retorridam bilem converſo producuntur.

Eorumdem cauſa juxtà Veteres.

Notandum tamen eſſe arbitror, quod pro partis diverſitate, in qua erumpunt, majus minuſvè minantur diſcrimẽ. Ità ſemper læthales ſunt, ſi in internis gulæ, & Æſophagi partibus appareant juxta Foreſti auctoritatem, qui *lib.6. de Morb. Epid. obſer.* 12. *p. m.* 169. ait, *omnibus enim circà ſtomacum, ſive Æſophagum, fauceſque erumpat carbunculus, ſubitò ſpiritũ ſæpè elidit*: quamquam autem de Carbone ſub mento ſito, & tantam carnis molem exciderante, ut internæ Faciei partes undiq; luculenter paterent, hiſtoriam referens, Ægrotum liberum evaſiſſe teſtetur; hoc tamen adeò rarum eſt, ut inter portenta jure ſit adſcribendum. Utrum autem ſalutarem, aut fatalem exitum polliceantur, ex variâ eorumdem qualitate deducendum erit. In genere autem lethales ſunt, precipuè

Signa bona, vel mala

ſi in Emunctorijs, Glandulis, aut Bubonum locis, vel unà cum eiſdem enaſcantur, quod malum ferè ſemper eſt, ac exitiale, dum immodicam venenatorum humorum ſarcinam, à qua natura facilè opprimetur, demonſtrant. Qui autem in morbi principio, & carnoſis in partibus erumpunt, minùs proferunt periculum; peſſimi verò è contrà ſunt, & læthales, ſi in pedum, manuumque digitis, (ut ſuperiùs de *Critone* retuli,) vel dorſo, vel ſi ſerò appareant, multòque deteriùs, ſi maximâ in copia ſint, dum majorem veneni proventum, humorum malitiam, ſanguiniſque labem preſeferunt; quod ſi albicantes ſint, abſque Febre, aut in parte nervoſa, necnon tunc maximè exitiales dolorosi experiuntur, eòque magis ſi ad cutim propulſi, ſtatim evaneſcant, certiſſimam enim Ægrotantium minantur perniciem, dum venenata ad internas partes repulſa materia, naturam obruere ſolet.

Horum cauſa juxtà Neotericos, &

Eorum cauſa juxtà Neotericos. præcipuè Willis, in retorrido ſanguine à venenato meaſmate inquinato conſtituitur, cujus portio ab acriori ſale coagulata, in corporis ſuperficie defigitur, ibiq; quia ſanguinis motũ impedit, exiguum primò tumorem inducit, qui dein à maligno fermento ſe latiùs explicante ſenſim adauctus, in viciniam ſerpit. *Cur non ſuppurent.* Suppuratio in his non ſequitur quoniam reſtagnans hic humor nullo coquitur calore, imò à ſulphureis exaltatis particulis, & unà cum acerrimo ſale congeſtis, aduſtio ſuboritur, veluti ſi cauterium parti infigatur. Carnium verò eſcharæ per lobos decidunt, quia corroſivum muſculis impreſſum venenum, non ſuperficie tantùm, ſed ejus ſubſtantiam corrodit, undè priuſquam tota caro abſumatur, membranis ipſis, quibus obvolvuntur carbunculi excæſis, fruſtum aliquod à reliquis veluti abſciſſum decidit.

Carbũculi etiã ſine Peſte ſæpè apparent. Advertendum tamen eſt, quod *Carbunculi* etiam nullâ vigente peſte in malignis quibuſdam febribus erumpere poſſunt, & tunc *maligni*, non *peſtilen-*

tes vocandi ſunt, nam ea ferè ſymptomata, quæ peſtem ſubſequuntur, in febribus *peſtilentibus* in ſpecie dictis, non autem verum peſtilentiæ gradum attingentibus, plęraque contingere poſſunt; quare ex ſolo apparente Carbunculo, peſtis non ſemper eſt judicanda, contrà verò ſi peſtilentia in vicinis graſſetur partibus, atque Carbunculus unà cum gravioribus aliis ſymptomatibus erumpere incipiat, tunc non levis de peſte ſuſpicio percipienda, juxtà illud Horatij Augenij *lib.8. de febr. cap.7. pag. mihi 223. imaginare vix poſſum in conſtitutione peſtilentiali, non peſtilentem naſci Carbunculum.* Signa autem quibus peſtilens erit denominandus, præter reliquorum peſtis communium ſymptomatum complicationem, variè deduci poterunt; & primò ex ipsâ Febre, quæ in Carbunculo non peſtilenti maxima ut plurimùm eſt, & ardentiſſima; in peſtilenti verò ad tactum mitis eſt, quia interiùs uruntur ægri, imò adeò levis interdum hęc eſt, ut non ſolùm ęgris, ſed vulgaribus quibuſdam

Signa peſtilentis Carbunculi.

buſdam Medicis vix percipiatur, undè ęgrum ſine Febre perire declarant, quod clariſſimè à dicto Horatio Augenio in *tom.*3. *lib.*4. *epiſt. Medic. epiſt. verò xj. ad Gerardum Columbam Meſſanenſem Medicum pag. mihi* 72. confutatur. Quod ſi cum Carbunculo nigra, livida, aut flaveſcens, & ſicca lingua, cum tenuibus, crudis, ac perturbatis urinis, bilioſis, liquidiſque excrementis, cum ejuſdemmet affectæ partis nigredine, & livore conjungatur, tunc verè peſtilens erit denominandus.

Maculæ. Sextò. Prętex *Carbunculos*, & *Exantemata*, alię quoq; erumpunt *Maculæ*, quę modò *lividæ*, modò *purpureæ* ſunt, & modò *ignis ſacer* appellantur. Iſtæ ut plurimum cum minori Ægrotantium diſcrimine per ſummam cutem ulceroſæ veluti veſſiculæ, à pituitoſiori ſimul, ac bilioſiori ſanguinis venenatâ parte productæ prodire ſolent, à Gręcis *Ecthygmata* nominatæ modò *pallidæ*, interdum *rubræ*, ac ſæpè *nigræ*, ſummo pruritu præditæ ab arſénicali

nicali contento ſale progenito, in ſanioſa ulcera ſæpè degenerantes, Carbunculorum quidem ad inſtar, dum ſæpè abſque ullâ ulceris notâ in ſquammas tandem deſinunt, ſummoque fervoris, & inflammationis ſenſu ægros ipſos excruciant. Singulæ autem Cutaneæ iſtæ eruptiones, infauſta ut plurimum peſtis ſigna ſunt, mortemque ferè ſemper minantur, idquè maximè ſi non in principio, ſed infectionis progreſſu appareant, quarè tunc criticas vocandas eſſe, nemo ſanè eſt qui fateatur, dum pręter Foreſti auctoritatem in fine ſuperioris pag. 132. relatam, quotidiana teſtatur experientia, quòd exilis *Macularum*, vel *Exantematum* expulſio malignis, aut peſtilentialibus in morbis ſalutaris rarò contingit, quia ob humoris, qui foras educitur, tenuitatem Ægroti, vel rarò, vel nunquàm ſublevantur; Criſis etenim juxtà Gal. copioſa eſſe debet, ac perfecta, ut morbifica educatur cauſa, naturamque exoneret.

Quando ſalutares ſũt, quando pernicioſæ.

Septimò. Maximè quoq; in peſte ſpectandi ſunt *Bubones* tam frequentes

Bubones.

ſcili-

ſcilicet tumores in ipſis glandulis, ab infeſtâ, & obrutâ naturâ expulſi, & præcipuè circà inguina, raró ſub axillas, nec non retrò aures, quamvis tamen tuncParotidum nomen acquirant.

Quando ſunt ſalutares. Bubones, & Carbũculi.

Bubones non minùs, ac *Carbunculi*, priuſquàm febris appareat erumpentes, mitiorem peſtem denunciant, at poſt ortam febrem educti, dominantis veneni impetu fiunt, ſuntque devictæ quaſi naturæ pernicioſa indicia; ſin autem in principio oriantur, fælicem ſæpè exitum pollicentur, ac naturam criticè operantem demonſtrant, prçcipuè ſi 12. vel 20. horarum ſpatio manifeſtè adaugeantur, rigidique ſint, ac duriores, non autem molles, idque maximè ſi retrò aures, aut fauces educantur; Duri enim craſſioris humoris eruptionem ſubindicant, ac per conſequens tutiores ſunt, dummodò lividi, aut nigricantes non ſint, nec retrocedant, tunc enim fatalia indicia ſunt, fçlicia verò ſi diù perſiſtant, oblongi ſint, ac moderatè doloroſi. Talium humorum expulſionem naturç proficuam cenſet

Horat.

Horat. Aug. *lib. citato de febr. cap.2. pag.*216., idque triplici ratione, ut ex ejuſdemmet verbis innoteſcit, ait enim *hęc igitur tria, humor malignus extrapulſus, pars pręcipua exonerata, atque recipiens viliſſima, bonam evacuationem hanc exiſtere ſignificant*, malos autem appellat, ſi plurimi eodem tempore expellantur, dum *in cap. 3. cit. lib. pag.*218. ſcribit, *ſi Bubones plures fuerint, eo quidem peior eſt morbi ſtatus, quo plures ex pręcipuis partibus peſtilenti lue conflictari oſtenditur*; in genere autem fæliciores dicendi ſunt, qui facilè ſuppurantur, ſicuti deteriores qui lentè, uti monet Foreſtus ultimo *cit. loc.* his verbis, *qui putereá ad ſuppurationem facilè perveniunt, melioris conditionis cenſentur, quàm qui cùm difficultate.*

Bubonum cauſa.

Recentiores horum cauſam, non tantum ad ſanguinem ipſum à veneno coagulatum, ac per arterias advectum, & peſtilentiali meaſmate inquinatum reducunt, ſed ipſiuſmet ſucci nervei illic congeſti infectionem admittunt,

&

& prout materia ſenſim concreta ob ſalis, ac ſulphuris exaltatas particulas, & in tumorem converſas, ſanguinis formam amiſit, hinc à diuturna concoctione, ac dictorum ſalium, ſulphuriſque fermentatione in pus convertitur, ſuccus enim nerveus peſtifero veneno inquinatus, & per partes in circuitu coagulatus, ac putredine varia affectus, ſi nimio ſale, & ſulphure ſaturetur, in varii generis tumores, *Carbunculos* nempè, aut *Bubones* concreſcit, quod ſi tenuior ejuſdem portio à ſolo ſale acri coagulata, medio naturæ robore per cutaneos porrulos educatur in *maculas, & cutanea* ſtygmata deſinit.

Qualis ſit urina. Octavò. *Urina* interdum tenuis eſt, & cruda, caloris nativi infirmitatem demonſtrans, aliquando turbata, & ſubjugalis, tùm ob humorum majorem perturbationem, cùm pariter ob flammæ vitalis depauperationem, ex quâ urina perfici nequit; imò ob ejuſdem extinctionem plumbea eſt, & livida, & demùm ſæpè fætida obſervatur, ob

maxi-

maximam nempè ſanguinis, & liquidorum corruptionem, ut inter plures ſentit Senertus in *lib.4. de febr. cap.4.* & Fernelius *lib.2. de abd. rerum cauſ. pag. mihi* 103. Neque minùs infenſa eſt ſi ſanorum ſimilis exiſtat, quia tunc deterior, ut in *lib.6. de morb. Epid. ſuperius jam citato obſerv.11. in ſchol. p.168.* ait, Foreſtus, *quibuſdam urina naturali ferè undequaque ſimilis inter omnes exitior*, uti docet etiam præfatus Augenius *in lib.6. de febr. cap.19. pag.* 184. ubi inter peſtis ſigna urinam naturalem conſtituit, his verbis, *maximum pręterea indicium eſt peſtis, quod urina tùm colore, tùm ſubſtantiâ, tùm ſedimento, ſimilis naturali exiſtat*, & Avicennas *tom.2. lib.4. fen.2. tract.1. cap.* 80., *pag. mihi* 94. inquit. *Quandoque eſt urina in ęgritudinibus peſtilentialibus bona, naturalis in ſubſtantia ſua colore, & ſedimine, & ille, cujus eſt, tendit ad mortem*, & ratio ab ipſo Gal., petenda eſt, dum *lib.3. Criſ. cap.9.* aſſerit, *hoc enim accidit ut plurimum quia natura à morbo ſuperatur, tunc*

Urina ſanorũ ſimilis.

enim

enim neque certare adverſus ipſam aggreditur, & prædictus Augenius, loco ultimo citato pag. 185. rationem refert, dicendo, *urinæ tùm ſedimento, tùm ſubſtãtiâ, tùm colore ſimiles ſanorũ urinis ſunt, quia nulla adeſt putrefactio, vel in ſolidis partibus, vel in humoribus cordis, ſed aer putridus ſolùm alteravit, atque infecit ſpiritus cordis:* addendum tamen eſt unà cum Zacuto *lib.* 1. *de Medic. princip. Hiſtor. pag. mihi* 154., quod ſi urina naturali ſimilis appareat, pulſuq; ſano, tunc in peſte plus ſævit venenum, quàm putredo; Cùm enim hæc mitis eſt, ac exigua, parva pariter in urina fit mutatio, & mitis totius ſanguinis excandeſcentia, unde pulſus vix immutatur, quod non niſi ex ſuperante veneno fieri poſſe eſt dicendum, & tunc maximè cùm calor, nec mordax eſt, nec ingens, neque ſiti fatigatur æger, & tamen animi deliquio, ſyncope, parvo pulſu, & debili, vigiliis, aſſiduis vomitibus, corporis jactatione, aliiſque ab Hippocr. in ſuis *Epid.* deſcriptis ſymptomatibus, conflicta-

ſtictatus Æger interimit.

Pernicioſæ quoque ſunt, ſi erumpentibus Bubonibus, aut retrò aures Tumoribus, celerrimè concoctæ appareant, quarum exitium manifeſtè ab Hippocr. *in Coacis pag.* 215. his verbis declaratur, *In his, quæ circà aures abſedunt, urinæ, quæ celeriter, & parvo tempore concoquuntur, damno ſunt.* Ità ſi igneæ ſunt maximum internum calorem, ſi pingues, & oleaginoſæ certum interitum, ſin autem copioſæ, colliquationem denunciant. Iſtæ tamen, aliæque urinarum qualitates ſemper pernicioſæ ſunt, ac fatales, infidam tamen peſtis cognitionem conſtituunt, ut nonnulli cum Galeno ſentiunt, qui 3. *præſag. ex pulſ. cap.*4. *p.m.*113. ait, *verùm ex urina in hujuſmodi febribus, præſertim ubi corpus Cordis occupaverint, certam notitiam petere ſemper non licet.*

Nonò. Hiſce omnibus *Capitis morbi, & ſymptomata* turmatim hic addenda ſunt, ut acerimus ipſius *dolor* teſte Fallopio *lib. de tumor. cap. de bubon.* *Capitis morbi.*

vigiliæ, deliria, & ſopores, de quibus ſatis manifeſtè loquitur Hippocr. 3. epid. *In totum autem plurimus, aut gravis ſopor concitabatur & dolor, aut parvos & tenues ſomnos habebant.*

Oculorum rubor. *Oculorum rubor* à nonnullis unà cum Gal. inter peſtis ſigna recenſetur, præcipuè ſi aquâ abluti inflammentur, & ab acribus elatis vaporibus tunc producitur. Hinc Mercurialis *in lib.1. de affect. capitis, cap.38. pag. mihi* 166. *Ophtalmias* peſtẽ interdum concomitari deſcribit. Dixi *interdum*, quia in qualibet peſte non contingunt, & præcipuè ſi à ſpirituum vel vitalium, vel animalium labe illa oriatur, per ipſum enim peſtis ab humoribus, non autem à læſis ſpiritibus dependet, cæteroquin ſi iſti venenato meaſmate in primis inquinarentur, ſtatim homines jugularent, nec oculorum inflammationibus tempus adeſſet, ſed eas tunc tantùm contingere docet, cùm à ſanguinis præter naturali ebullitione procedit, & antequam tam intenſus, ac venenatus malignitatis gradus à totâ liquidorum

maſſa

maſsâ contrahatur; cùm enim ſanguis violenter effervefcit, hinc vapores multi, fervidi, & acerrimi ad caput ipſum feruntur, & inflammationem progignunt, eodem ferè pacto, quo in Morbillis, ac Variolis, quæ Epidemicæ ſæpè ſunt, antè ipſarum eruptionem, oculi inflammantur.

Linguæ nigredo, tuſſis ſicca, & ingens ſitis à Gal. 5. *meth. cap.*12. inter peſtis ſymptomata aſſignantur.

Calor ad tactum *mitis* eſſe ſolet juxtà Gal. 9. *ſimpl. cap. de bol. armen.*, ut confirmat pariter Avicen. *tom.*2. *lib.*4. *fen.*1. *tract.*4. *cap.*2. *pag. mihi* 67. & tunc non ad aliud referenda eſt cauſa, niſi ad malignam, & veneficam qualitatem, putredinem ipſam ſuperantem. *Calor mitis.*

Decimò. Neque omittenda ſunt *Ventriculi* ſymptomata, ut ingens *Ciborum inappetentia*, unde ſcripſit Gal. 3. *Epid. com.*3. ſe in peſte quàm plurimos vidiſſe, qui mori maluerunt, quàm cibum ſumere. Adſunt pariter *Vomitus*, *Nauſea*, *Cardialgiæ*, & *Ventriculi Dolor*, cum Hip. 1. prog. *Oris ventriculi dolor*, *Ventriculi ſymptomata.*

cum præcordio diſtento, & capitis dolore, peſtiferum, & malignum, eadem enim in ſingulis cauſa ad malignos exhalatos vapores, ipſumq; Ventriculum ſummè lædentes reducitur.

Alvi fluxus copioſi, & fætidi. Undecimò. *Alvi fluxus* in nõnullis nõ ſolùm copioſus eſt, ſed ejuſdem excrementa modò eruginoſa ſunt, vel unà cum vermibus permixta juxtâ Foreſtum in toties citato loco, modò glutinoſa, ut docet Senertus, modò craſſa, ſincera, & fætida, ut ait Galenus 8. *de loc. aff. cap.7.*, ſemper verò perniciosiſſima ſi diù perſeverant, ut teſtatur Hippocr. 3. *Epid.* in cujus Epidemicâ conſtitutione plurimos *alvi fluxu, & dyſenteriâ* ſublatos fuiſſe deſcribit; Fœtor enim inſignem humorum putredinem ſignificat, copia verò ſummam totius ſanguiuis non tantùm corruptelam, ſed & colliquationem, quę juxtà Gal. *in* 3. *Epid. cap.*55. inſeparabile peſtis ſignum aſſignatur. Ità ſi nigricantia appareant excrementa peſſimum eſt, ac læthale, ut ait Foreſtus *lib.*6. *morb. epid. obſerv.*13. *pag. mihi* 171.

Nigra excrementa.

171. *Talis quoque fuit peſtis in Æſtate, in qua vix pauci ſervati fuere, quibus excrementorum nigrorum dejectio per ventrem inferiorem fiebat*, quod pariter de atrâ bile intelligendum eſt, ut paulò inferiùs ipſe ſubdit, *cæterùm pluribus poſt excretionem diebus, qui puram exactamque atram bilem dejiciebant, omnes perière.*

Hæc præcipua peſtis ſymptomata ſunt à ſingulis relata, quibus tamen nonnulla alia, & copioſiora, ſed minoris momenti ſuperaddi ſanè potерunt; ſed ſicut illa primariò, ac per ſe peſtem indicare non valent, quia præcipua non ſunt, hinc ea omittere non incongruum duxi, nimis enim prolixum fuiſſet illa, & quamplurima ſuperflua fuſiùs exponere, dum ipſa facilè à benigniſſimo Lectore videri poterunt, præcipuè apud Fernelium *in l.7. pag. mihi* 329., apud Foreſtum *lib.*6. *obſerv.*12. *& ſequ.*, Senertum *lib.*4. *c.*4. *pag. mihi* 804. Zacutum *lib.*4. *tom.*2., Willis, Sylvium Deleboe, *pag.*471., necnon Riverium *lib.*17. *cap.*1. *p.*330.

quibus alii quàmplurimi, ut Sydenham, Diemerbroek, Doleus, &c. addi poterunt.

Summa totius Primæ Partis. Verùm antequam ulteriùs progrediar, liceat mihi ſingula hucuſque in hac primâ hujus tractatus Parte explicita brevi complecti, eaque in mentem redigere, quod *Peſtis* ſcilicet eſt *flagellum Dei*, tùm quia ab eodem immitti ſacræ teſtantur Litteræ, necnon ipſa Gentilium vanitas, quarè *Morbus Divinus* dicitur, tùm quia quid *occultum*, atque hominibus *ignotum* continet, undè nil mirum, ſi à ſingulis omnium morborū *peracutiſſimus* dicitur *pernicioſiſſimus*, *omnibus communiſſimus*, & quia, vel per *aerem inſpiratum*, vel per *fomitem*, vel etiam *indiſtans* propagatur, hinc *maximè Contagioſus*. *A Cœlo* interdum, ejuſdem *Cometis*, *Eclipſibus*, *flammis*, &c. prænunciatur, interdum à *Temporum malo ordine*, *intempeſtivâ*, *& nebuloſa aeris perturbatione*, *tempeſtatum inconſtantiâ*, *ut auſtrinâ*, *parumque calidâ Æſtatis variatione*, *opaco*, *& pluvioſo Autumno*,

no ; auſtrinâ hyeme , Vere modó *impluvio* , modò *imbribus copioſo* , ſæpè *à Terræmotibus* , non raro à *Murium*, *Ranarum* , *Pullicum* , *Locuſtarum* , aliorumque *inſectilium* nimiâ copiâ, necnon *malignis* graſſantibus *variolis*, aut *morbillis* , ſicuti *à fatalibus mulierum abortibus* , & deniquè *á Brutorum*, *& avium Epidemico interitu*. Tanti morbi cauſas *ad aeris vitium inquinamenta* , *& infectionem non ſubſtantialem*, ſed tantùm *accidentalem* ſeù *alterationem* reduxi , quæ vel *à malignis ſyderum influxibus* , vel *ab humidiſſima ambientis intemperie*, vel *ab inſepultorum cadaverum copiâ* , vel *ab immotis*, *putridis* , *aut paludoſis aquis* , *cloacis* , *& ſterquiliniis*, vel *à terræmotibus* , *aliiſque ſubterraneis è locis putreſcentibus exhalatis vaporibus* , *necnon à mala frugum fructuum*, *victuſque conſtitutione procedit* . Tales *aereæ inquinatæ particulæ* intrà Homines per *analogam generis* , *& ſpeciei ſimilitudinem* introductæ , ac cum pravis , maligniſque ad tale recipien-

dum venenum ob depravatum *victus* regimen, *famem*, aliamvè *occultam*, & imperſcrutabilem qualitatem præparatis humoribus aſſociatæ, cùm in ſanguinis, & liquidorum maſſam ſubeunt, ſingulas, & præcipuas noſtræ machinę functiones manifeſtè lædunt, atque perturbant. Nam primò ubi *Cor* à veneno graviter inficitur,ac in reſiſtendo laborat, ejus vires enervantur, *Cordis palpitationes*, *Deliquia*, *Syncope*, & *ſudores Syncoptici*, *Pulſus debiles*, *inęquales*, *deficientes*, *formicantes*, & *vermiculoſi exoriuntur*. Si ad *Cerebrum* vapor frigidus malignâ qualitate infectus aſcendit, *Sopor*, *Stupor*, *Oblivio*, *Vertigo*, & ſi *materia* acris ſit, & calida *Vigiliæ*, *Deliria*, & *Phrænitis* producunrur. Si nervi unà cum motrice Facultate afficiantur,*Convulſiones*, *Paralyſis*, *reſpirandi difficultas*, *cùm vocis depravatione* conſequuntur. Ità *Ventriculi læſo Orificio*, quod facilè ob conſenſum cum Corde fit, *Cardialgiæ Inappetentiæ*, *Singultus*, *Anxietates*, *Nauſea*, *frequentiſſimi corruptorum humorum*

morum Vomitus, Sitis maxima, & tuſſis ob eorumdem acrimoniam, & ardorem percipiuntur, imò ſæpè cum ſummo interno calore nulla urgere ſolet ſitis, ob majorem Facultatis depravationem, ac penè dixerim extinctionem; ſin autem ſenſuum Organa occupentur, *Aurium* exoritur *tinnitus*, *Oculorum caligines*, *guſtus depravatio*, ſicuti *Hemorroggię*, vel *ſanguinis*, *è naribus ſtillæ*, ſi iſtæ eſſentialiter lædantur. Quod ſi peſtilentes humores tanta in copia intra fluidorum maſſam tumultuent, ut naturam penè *obruant*, tunc ad externas partes, vel ſub *Macularum* formâ ſi tenues ſint, vel per *Antraces*, aut *Bubones*, ſi humor ſale, ſulphure, & acerrimâ aliâ qualitate ſaturetur, expelluntur, quę *Cutaneę* eruptiones ſi in principio appareant, benè operantis Naturæ indicia ſunt, & ſi cum reliquis deſcriptis ſignis copulentur, Ægrotantium levamen conſequetur, & è contrà læthales, & à morbi violentiâ eductæ, & per conſequens quàm maximè periculoſæ, ſi in progreſſu,

greſſu, & imperfectæ ejiciantur. Denique ſi ad *alvum* peſtilens decumbat materia, *immodici Alvi fluxus*, & veluti colliquativi conſequuntur, ſæpè *Dyſenteriæ* à ſingulis inter peſtis fœnomena, ac ſymptomata enumeratæ.

Hæc ſigna ſunt quæ peſtilentiam concomitantur ab utrâque, tùm Veterùm, tùm Neotericorum ſcholâ, univerſali conſenſu enumerata, de quibus tamen tria notanda ſunt.

Primò. Quod eorumdem Illias *Peſtis* propriè dictæ vera, & ſingula ſymptomata non ſunt, ſed potiùs peſtilentium febrium ſigna, ac conſtitutiva. Quæ autem peſtis communiora eſſe ſolent, omnia in ſingulis peſtibus, aliiſque Epidemicis peſtiferis conſtitutionibus non contingunt, alia enim in unâ, alia in alterâ occurrunt, ut apud Auctorum Monumenta variis peſtium temporibus manifeſtè deſcribuntur; ad peſtem enim decernendam ſola Aeris infectio ſufficit, & plurimorum interitus.

Secundò. Licèt vix ulla peſtis contingat,

tingat, in qua *Bubones*, *Exantemata*, *& Carbunculi* non appareant, in omnibus tamen non conſpiciuntur, quia ſæpè natura à peſtilentiali veneno, adeò eſt obruta, ac infecta, ut eorumdem expulſionem moliri non poſſit.

Tertiò. Demùm, ſi nec prædicta, nec alia ſpectentur ſymptomata, attamen in copia moriantur, & præcipuè inſtantanei conſequantur interitus, id à majori peſtis robore, ac veneno principales partes, & pręcipuè Cor immediatè lædente producitur, antequam enim illa erumpant, Æger perit.

Et hæc pro peſtis Æthimologiâ, Definitione, Signis, Cauſis, & Symptomatibus exarandis, & pro primæ Partis hujuſce tractatus complemento ſufficiant, dum ad non minùs proficua, quàm tanto morbo profſligando neceſſaria, eodem tenuitatis meæ ordine deſcribenda deſcendam.

Finis primæ Partis.

DE PESTE TRACTATUS HISTORICO-MEDICUS

Pars Secunda,

In quâ ejuſdem Præſervationis leges, tùm quoad ſex res non naturales, tùm quoad interna eligenda præſidia breviter afferuntur.

CAPUT I.

De Peſtis præſervatione.

PRæſentes non ſolùm morbos oppugnare, ſed & imminentes præcavere, ſolertis ſanè Medici munus eſt, ac conditio, eoque major ſi à prævio morboſo apparatu, & ab eadem non minùs Corporis intemperie, *Neceſſitas, & excellentia præſervationis.*

ac

ac Epidemicâ graſſante Causâ, eamdem ſymptomatum reproduci noſcat Illiadem, cum ſatis preſervantis hujuſce ſcientiæ nobilitas à Divino Sene 3. de articul. celebretur, quod à Mercato *in tract. de morb. hæredit. pag. mihi* 434. refertur his verbis, *prænotiones ſplendidæ ſunt, ac glorioſæ ex cognitione, quo, qualiter, & quando ſingula deſinant, ſivè eò vertantur, ut incurabilia fiant; ſivè curationis ſpem exhibeant.* At ea miſerrima præcautionis lex eſt, ut à fatalibus tantùm repetitis caſibus lucem hauriat, ut mirificè quamvis in alio ſenſu ſcripſit Tacitus, *Ex vitio alterius Sapiens emendat ſuum.* Hinc cùm pro infirmis ingenii mei viribus peſtis Eſſentiam, Symptomata, & Cauſas breviter huc uſque expoſuerim, antequam ad ejuſdem curativa præſidia (ſi quæ tamen præter eximiam Dei Opt. Max. Clementiſ. opem aderunt) deveniam, nonnulla de ejuſdem preſervatione referre, nec irritum, neque abſurdum opinor.

Verùm ea infelix eſt peſtis conditio,

ut ſæpè longinqua vix metuatur, proxima verò, & inchoata præcaveri vix poſſit. Maximum enim peſtis præſervativum illud eſt, ut eamdem à noſtris adhuc Regionibus remotam, idoneis præcautionum legibus arcere ſtudeamus. Moderatus tamen timor ſit, non excedens, ne dum peſtem nimio animi terrore avertere tentamus, peſtis ipſa inducatur, ut ſuperiùs breviter innui, & fuſiùs in ſequenti deſcribam. Salutaris autem metus eſt, ſi præſervationis methodo jam inſtitutâ, prævidendo, quod timet arceat, quia nulla crudelior Hoſtium ſtrages eſt, quàm quæ inopinata, quare ad Lucillum ait Seneca, *ſiquid timendum eſt, time citò & citiùs provideas, providendo tamen, nil timeas*, undè non mirum, ſi maximus præſervationis Cardo à ſingulis ille ſanè recenſetur, ut quamvis remota, veluti proxima cenſeatur, proxima verò jam jam infenſa timeatur, quarè Eraſmus in Epiſt. (ut conſtat apud Eborenſe pag. 154.) mirificè ait, *longè faciliùs morbus declinatur, quàm admiſſus*

Cur difficilis ſit Peſtis præſervatio.

miſſus

miſſus rejicitur. Tota igitur præcautionis methodus eò inſtituenda eſt juxtà Gal. 1.*de differ. febr. cap.*6. *ut cauſæ agentis energia*, quò magis fieri poteſt enervetur, ac *internæ* ad eamdem ſuſcipiendam *diſpoſitiones* auferantur; cùm enim ex dictis *ab agentis venenatę cauſæ activitate, & patientis diſpoſitione* peſtis oriatur, hinc prævia ejuſdem pręſervatio ad utriuſque ablationem reduci debet.

In quo conſiſtere debeat Peſtis præſervatio.

Ad duo igitur tantę præcautionis ordinem refero. I. Ad exactiſſimum ſex rerum non naturalium uſum.

I I. Ad præviam, nec non opportunam remediorum præparationem.

Præſervatio primò à Deo petenda eſt.

Hæc autem omnia ſanè irrita cenſeo, niſi præcipuum præcautionis remedium antè ſingula pręmittatur, interna ſcilicet Animi Morumque integritas, ac rectitudo; cùm enim Peſtem antiquiſſimum, & conſuetum DEI *flagellum* ad criminum expiationem inſtitutum, unà cum experientia Veterum exemplis, ac ſingulorum auctoritatę ſuperiùs expoſuerim, hinc ortho-

doxe

doxæ Fidei lumine, concitata Supremi Judicis ira, per culparum ablationem, aſſiduaſque ad DEUM preces prę cęteris eſt cohibenda, undè pręter ſuperiùs de peſte anni 590. ſub Pontificatu Pelagij, & Divi Gregorij relata, ſatis celebre eſt Hiſtoricorum exemplum, peſtem ſcilicet anno 682.ſub Conſtantino per Italiam menſibus Julij, Auguſti, & Septembris, tàm immaniter graſſantem, ut herbę in Plateis enaſcerentur, numquam extinctam fuiſſe, quìn Votivum D.Sebaſtiano Altare erigeretur. Hoc autem ab ipſiſmet Gentilibus obſervatum vidimus, dum vix conditâ Româ, Romuloque ipſo Regnante graviſſima tandiù ſæviit peſtis, donec Tatij Sabinorum Regis Occiſores, juxtà Oraculi monitum, interfecti fuere, ità Tit. Liv. *lib.*1. *deciſ.*1., quod pariter *in lib.*9. *deciſ.*3. de intenſiſſimâ alterâ ſub Publij Licinij Conſulatu Romanum Exercitum devaſtante,& Deorum tantùm precibus, ac oraculis ceſſante, clariùs confirmat; atque in hunc finem à Gal. *in com. Epid.* ità ſcri-

Gentilium exempla.

ptum fuiſſe arbitror, *Peſtes verò omnes homines vocant, & norunt eſſe perniciosos morbos, & mittunt ſæpè qui Deos conſulant de curatione.*

Celebre pariter eſt aliud Romanorum exemplum, qui à crudeliſſima peſte numquam evaſerunt, niſi introducto ab Epidauro in Romam, juxtà Delphici Oraculi monitum, Eſculapii ſimulacro, uti teſtatur Val. Maxim. *lib.* 8. & Liv. *lib.* 11. ſicuti in Ovid. *Metamor.* de Peſte Rom. hiſce verſibus innoteſcit.

Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exangui ſquallebant Corpora Morbo
Funeribus feſſi, poſtquam mortalia certum
Tentamenta nihil, nihil anteà poſſe Medentum
Auxilium Cæleſte petunt, mediamque tenentis
Orbis humum Delphos, adeunt Oracula Phæbi, &c.
. . . . . *Nec Apolline vobis*

Qui

Qui minuat luctus opus eſt, ſed Apolline nato
Ite bonis Avibus, Prolemque acterſite noſtram

Ità docente Plutarco, quæ Lacedemones vexabat peſtilentia, numquam evanuit, niſi juxtà Oraculum generoſam Virginem Apollini ſingulis annis immolandam promitterent. Sic Val. Maxim. in *lib.2. de Inſt. antiqui.* Publio Valerio Publiculâ Romano Conſule peſtem Romæ numquam ceſſaſſe docet, niſi Diti, & Proſerpinæ Sacratis Votis, Ludiſq; pro ejuſdem inſtitutis; neque vulgare Curtii prodigium fuit, qui ad Peſtem dirimendam in voraginem ſe injecit, ut ſcripſit Liv. *lib.* 17., quæ omnia, aliaque plurima ab Hiſtoricis relata, quantum Gentiles ipſi, Deos ſuos licèt fallaces in peſtis violentiâ mediis Votis, & Sacrificiis placare ſtuduerint, luculenter demonſtrant. At cum hæc ad falsa Antiquitatis Numina referantur, ad ſummam eorumdem met Gentilium in noſtrũ verũ, & unicũ

Gentilium, & Turcarum pro Peſtis præſervatione in Deum noſtrum fiducia.

Deum, peſtilenti tempore, indicandam fiduciam, liceat mihi, quod à Georg. Cedreno in *ſuis Hiſt.* egregiè refertur, Benevolo Lectori deſcribere, quod ſcilicet Michaelis, & Theodoſij ſub Imperio anno 847. atrociſſima per totum Bulgariæ Regnum ſæviente peſte, poſt irrita quæcumque præſidia, ac ſuorum Numinum Sacrificia, ad Michaelem Imperatorem, mediis Legatis *BUGOR* eorumdem Rex confugit, ut Chriſtianos ad ipſum mitteret Concionatores, ac Miniſtros, quorum operâ Catholicâ receptâ Fide à peſte ſingulos evaſuros confidebat; & reverâ Michaelis Nomine in Baptiſmate à Rege aſſumpto, unà cum univerſo Regno ab infeſtiſſimâ Corporis, Animæq; lue immunis extitit.

Neque minùs conſpicuum eſt, ac mirum, quod ſub Mauritio Imperatore anno 588. contigiſſe perlegi, & fatetur Nicephor. *lib.*18. *cap.*20., cùm videlicet per Narſetem Ducem ſuum Primarium Perſarum Regnum armis ferroque devaſtaſſet, Captivos quampluri-

plurimos Turcas habuit, qui cum Santiſſimæ noſtræ Crucis Signum in fronte candenti ferro impreſſum geſtarent, non aliud obſtupeſcenti Imperatori reſponſum dedere, quàm quod, cùm ferali jam peſte affligerentur, nec proficuum daretur præſidium, & cùm ſinguli, qui à Chriſtianis inter Turcas Captivis, Crucis Signo muniebantur, à peſte liberarentur, unanimi ſingulorum conſenſu, omnes Crucis Signum medio igne in fronte inflictum ad Peſtis tùm curationem, cùm præſervationem receperunt; imò non aliam ob rarionem Athęniẽſes *ignoto Deo* Aram erexere, niſi quòd graviſſimâ peſte abſque ullo ſuorum Numinum ſubſidio debellati, cùm novum adeſſe Deum intellexerint, nec aliud de ipſo ſcirent, ſed ipſius iram ob eorumdem ignorantiam pertimeſcerent, *Ignoti Dei* ſub nomine excoluere, ut D. Pauli verba teſtantur, *intelligentes igitur* (ipſe ait) *quemdam fortaſſis eſſe Deum, quem ipſi abſque bonore reliquiſſent, qui iratus peſtem immitteret, novam extruxerunt*

Cur Athæ-nienſes Ignotũ Deum coluerunt.

Aram , eamque inſcripſerunt Ignoto Deo , quo facto ſtatim peſtis ceſſavit.

En igitur quantum in Peſtis Epidemiâ pro eiuſdem non tantùm curatione, quàm præſervatione ad Sanctiſſimum Deum Noſtrum confugiendum eſſe, Gentilium , & Turcarum fiducia nos doceat. Verùm cum cujuslibet quidem Fidelis munus hoc ſit, non autem Medici pietatis leges præſcribere, ſed morboſas Corporis diſpoſitiones , vel præcavere, vel perſanare, hinc ad ſuperius propoſitum ordinem ſtatim devenio.

CAPUT II.

De uſu ſex rerum non naturalium, & primò de Aere.

QUantum ad Vitam ſex res non naturales neceſſariæ ſint, nemo ſanè tam rudis eſt, qui neſciat, dum quilibet earumdem uſu opus habet; debitâ tamen menſurâ ſingulis uti debemus, ut ad ſanitatem confluant juxtà Senecæ Oraculum, qui *lib.*6. *qu. nat. cap. de Terræmot.* ait, *non Cibus nobis, non humor, non vigilia, non ſomnus ſine menſurâ quâdam, ſalubria ſunt*, quod ſi ſemper ſpectandum eſt, quantò magis tempore Peſtis?

Neceſſitas optimi uſus ſex rerum non naturalium.

Ab *Aere* igitur præſervationis Methodum aggredior, tùm quia primarium vitæ Elementum, tùm quia per Pulmones primò, attrahitur, & Corporeę Machinæ unà cum ſãguinis maſſâ optimam, vel pravam in ſe receptam diſcraſiam imprimit, ſcripſit enim Gal.9.

Cur Aer in primis ſpectandus ſit.

meth.

*meth. cap.*14. *p. m.* 58. *quod Aer eſt id, ſine quo nec Morbus tolli, nec Sanitas teneri poteſt*, tùm etiam per hoc maximè, quod prima peſtis origo, imò ejuſdemmet quidditas, eſſentia, & conſtitutio ab ejuſdem Aeris vitio, inquinamento, & corruptelâ, ut ex antecedentibus patet, procedit. Aer igitur, & Domicilium, & Urbes, & Regiones in peſtilenti qualibet conſtitutione mutandæ ſunt, longiùſque properandum, quod prout ſingulis ſatis innoteſcit, hinc validiori, & ratione, & auctoritate roborare non cenſeo. Monitum autem Hipp. præterire non audeo, qui in *l. de nat. hum. p.m.*229. ſingulos hiſce ferè verbis hortatur, *locum prætereà in vim alienam ab eo in quo morbus ille excitatus eſt, mutabis*, imò quantum ab infecto loco ſalutaris fuga ſit, & neceſſaria, ex mirabili Ezech. effato compertum habemus, dum *cap.*7. ait, *Qui in Civitate ſunt, peſtilentiá, & fame devorabuntur, & ſalvabuntur, qui fugerunt ex eis.* Duo autem in fuga ſpectanda ſunt. Primò ut hęc promptiſſima

Duo in fugà ab

tiſſima ſit, nec certiorem peſtis digno- tionem exoptet, ne ab Alcipiade me- ritò redarguatur: *Stultum eſt, non fuga ſibi conſulere, cùm fugere poſſis.* Se- cundó. Non ſufficit fuga, ſed ad opti- mum Aerem confugiendum juxtà Ri- pæ J. C. conſilium, qui *de Remediis contra Peſtem*, optimam loci ſituatio- nem his verbis deſcribit, *qui vult præ- ſervari à peſtilentiâ, locum ſaluberri- mum quærat, in quo ſibi eligat Domi- cilium, nam loci opportunitas mirum in modum confert ad ſanitatem Cor- poris conſervandam;* qualis autem tan- ti Aeris conditio eſſe debeat, prædictus Ripa *pag.* 48. *n.* 5. taliter deſcribit, *locus ſit excelſus, non nebuloſus, Regiones Cœli ſpectans, neque æſtuoſus; neque frigidus, cui nulla noceat paluſtris vicinitas;* aurę etenim quę paludoſis è locis ad Aerem elevantur, venenatos paluſtrium Animalium ſpiritus, in Ha- bitatorum Corpora effundunt, & lo- cum peſtilentem efficiunt; Tales aeris neceſſariæ qualitates ab ipſo Gal. 1. *de Sanit. tuenda*, dum ſuſpecti Aeris indi-

infectio Aere ſunt ne- ceſſaria, & quæ.

Qualis Aer eli- gendus eſſe de- beat.

indicia refert, negativè, ſed manifeſtè exponuntur his vrrbis, *Neque ſit Aer ille qui ex Animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo inquinatur, nec qui ob Stagnum, aut flumen vicinum, vel paludem nebuloſus fit, nec qui editis undique Montibus in cavo loco clauſus, nullum recipit flatum, talis ſuffocans eſt, & in Domibus quibuſdam incluſus.* Aer igitur *purus ſit, excelſus, ac lacunis, ac paludibus maximè remotus, ſubtilis*, necnon à Populorum frequentiâ, ſi fieri poterit, longinquus, unde nil mirum ſi Romani, & Græci, referente Plutarco, Eſculapio Templum ab Vrbibus remotum vovebant, dum Aer ab eiſdem alienus, ſalubrior eſt præcipuè Montanus, qualem à Commodo Imperatore, à Româ peſtilenti tempore Medicorum conſilio recedente, electum fuiſſe docent Hiſtorici, ſicuti pariter de Sixto Quarto P.M. à Româ ad Brachianum Oppidum peſtilenti anno 1481. confugiente confirmatur.

Cur Antiqui extrà Urbem Eſculapio Templa vovebant.

Sin autem à Populo recedere non

licèat,

liceat, cum ipſo quò minùs fieri pote-rit, commorandum ſcripſit enim Hipp. 6.*Epid. com.*7. quod qui frequentiùs è Domibus exibant, Peſte faciliùs corripiebantur, quàm qui minùs exibant, & ratio eſt, quia ſummoperè perniciofa eſt hujuſmodi temporibus ipſamet inſpiratio, & expiratio Aeris, quæ inevitabilis eſt in Populorum commercio, & ex quo peſtis ſeminium quàm maximè propagatur, ut clariùs in *I. Parte p.*29. explicui; quarè nil mirum ſi à ſingulis in optimo Aere ſolitudo, vel ſaltem cum reliquis minor frequentia collaudetur, undè *citò, & longè* fugiendum eſt, *ſerò* autem redeundum, ut præter jam relatas plurimorum auctoritates, celebre eſt Avicen. Monitum, qui *tom: & lib.*1. *Fen.*3. *doctr.*5. *cap. de mutat. Aeris pag. mihi* 181. ait, *peſtis tempore illud ſtudendum eſt, ut fugiatur neceſſitas attrahendi multi Aeris, quod optimè fit quiete, & otio.*

Cur parùm à Domo exeundum ſit.

Circà autem Aeris Regimen hoc ſanè non ſufficit, ſed ad cujuslibet etiam accidentalis ejuſdem putredinis, atque

Aer depurandus eſt, cur, & quomodo.

atque elati vaporis metum removendum, odoriferis, ac ſuavè olentibus flammis erit depurandus, quarè Clemens Sextus in peſte anni 1348., & Nicolaus Quintus P. P. M. M. in ea anni 1447. in clauſis immorabantur Cubilibus, ac in eiſdem odoriferas flammas accendebant. Hinc comburi poſſunt præter *grana*, & *ligna Iuniperi*, *Laurus*, *Cupreſſus*, *Salvia*, *fol. Quercus*, *Salicum*, & alia ſuavè olentium herbarum genera, & præcipuè *fol.*, & *lignum Roriſmar. Coronarii*, quod taliter in pulverem effici poterit.

Suffumigia qualia eſſe debeant.

℞. *Caryoph. unc. ij, flor.*, & *fol. Roriſmar. a. m. ij. contundantur*, & *m. cum unc. iiij. Styrac. liquid. de quibus utatur pro ſuffumigiis.*

Roriſmarini etenim elogia apud Fumanellum hiſce verbis leguntur, *Roſmarinus Coronarius crematus totam Domum à peſte tutam reddit*, *ejuſque nidor improbam Aeris diluit peſtilentiam*, quæ omnia non mediocris emolumenti ab Hipp. in ſuis Epidem. celebrantur, dum hiſce flammis, ac ſuffu-

migiis

migiis eximiam Athænarũ Vrbem ab infenſiſſima graſſante peſte, ab Æthiopia medio ventorum impetu in Græciam translata vindicavit, quarè à gratiſſimis Athænienſium animis Divino nomine appellabatur, eique tamquam Tutelari Numini Aurea, & Ænea ſimulacra erexere. Idem de ſemet ipſo teſtatur Gal., dum Marci Aurelii, & Commodi ejuſdem Filii ſub Imperio à peſtilenti per Univerſam Italiam ſæviente Contagio, illæſam, ac incolumem Romam prædictis tantùm flammis in Plateis, & ſuffumigiis in Cubiculis Aerem ipſum, & depurando, & ab omni peſtilenti inquinamento liberando præſervavit; Cùm enim Aeris vitium à luxuriante humido contingat, hinc Jure per ignitas, & Aromaticas Auras exſiccandum, quæ ſuffimigiorum cautio non tantùm univerſis in Urbibus, ac Plateis adhibenda, ſed optimo quoque jure privatos inter Parietes exercenda, quarè nil mirum ſi Plinius *lib.*36. *c.* 26. manifeſtè aſſerat, *eſt, & ipſis ignibus medica vis cujus ſuf-*

Ratio ſuffumigiorum.

fitum

ſitum peſti auxilium ferre certum eſt, & Augenius inter ſingulos tales ignes mirabiliter comendandoità monuit, *vellem tempore peſtis, ut circà Urbem in quatuor, vel quinque angulis quotidiè ignes excitarentur injectis lignis Quercinis miſcendo odorata ex Lauris, Cupreſſo, Junipero*; atque hinc eſt, quod Veneti anno 1438,, quo per univerſam ferè Italiam immanis ſæviebat Peſtis, ex odoriferis lignis nocturno tempore, undequaque flammę accendebant, ac ità à peſte liberati fuere; quamvis autem nonnullis tales ignes per hoc non arrideant, quia per ipſos Aer magis calefactus ad peſtilentem recipiendum venenũ aptior redditur, dum peſtilens maligna qualitas ex intemperie calidâ fit, facillimè tamen eiſdem reſpondendum eſt, quod intemperies, à qua faciliùs ad malignum ſuſcipiendum meaſma diſponitur Aer, non tantùm calida, ſed humida eſſe debet, qualis eſt Auſtralis, quia prout totam Sanguinis maſſam alterat, eam ad peſtilens ſuſcipiendum venenum

faci-

faciliùs diſponit, quod de calore à prę-dictis flammis in Aere producto dicendum non eſt, tùm quia calidus ille quidem fit, ſed ſiccus, ac per conſequens ad peſti reſiſtendum aptiſſimus, ut in ſingulis Aromatibus conſtat, quæ prout calida, & ſicca, non tantùm non corrumpuntur aut putreſcunt, ſed putredini reſiſtere valent, & peſtilentibus in conſtitutionibus mirum in modum proficua experiuntur. Præterea, quæ ab Hippocr., Gal., aliiſque quàm plurimis laudantur Flammæ, non Aeris tantùm humiditatem abſumunt, & exſiccant, ſed prout è lignis odoroſis ſunt, hinc ad putredinis, ac peſtilentiæ labem arcendam propriis diſponunt odoribus, idque maximè ſi ſuffumigiis poſt flammas utamur ex *aqua plantag. Nimpheæ, flor. Citri, Lavend; Aceto ſimpl., vel roſat.*, vel artificiali additâ ſcilicet ebullitione *Santal. rubr., Mirti, Roſ.*, & ſimilium, quæ omnia optima ſunt, & quàm maximè privatis in Cubilibus commendantur, quibus ſupplere poterunt *fructus* vel *cortices*

Citri,

Citri, *Cidon.*, *Pom. roſ.*, nec non *Menta*, *Lavend.*, *Salv.*, *Laurus*, *Violæ*, *lignum Aloes*, *&c.* quorum odores ad malignum, ac peſtilens arcendum meaſma valdè coadjuvant. Talia autem ſuffumigia, flammæ, atque odores à ſingulis, quamvis Ægenis fieri poſſunt. A Divitibus autem inſtitui poterunt, *Belzoin*, *Styrac. Calam.*, *Aromat.*, *ligno Aloes.*, *Cariophyl.*, *Nuc. Muſc.*, nec non *Moſco*, *Ambrâ*, *Maſt.*, *Thur.*, & quamplurimis aliis odoroſis, ut ſequens E. G. pulvis ſupplere poterit, aliuſque aliâ formâ paratus.

℞. *Maſtic.*, *Thur.*, *Mirrh.*, *ligni Aloes*, *Iunip.*, *limat. Cupreſ. an. unc. ſs. Moſchi gr. iij*, *add. nonnullâ Croci*, *& Mel. portione*, *f. trociſchi*, *ut comburantur.*

Vel

℞. *Thur. ell.*, *gran. Junip.*, *Succin. alb. a. unc. ſs. Mirrh.*, *Belzoin.*, *Maſt.*, *& Styrac. a. dr. ij. Caryoph. dr. j. ſs.*, *omnia pulver.*, *& cum mucil. tragag. f. trociſch. ut ſuprà.*

Vel

Vel

℞. *Sulph., Thur., gr. Junip., Picis nav. a. unc. ſs. m. f. pulvis, utatur, ut ſuprà.*

Accendi pariter poterunt artificiales Candelæ, ità paratę.

℞. *Laud., Styrac., Calami, Benzoin. dr. j. Mirrh. & Thur. a. dr. ſs. gran. Junip. dr. ij, Therebinth. dr. iij, pulv. Caryoph. dr. ij., cùm mucil. tragag. ſ. a. f. Candelæ, & accendantur, vel trociſchi, ut comburantur.*

Pro Pauperibus tamen ſequens inſerviet.

℞. *Bacc. Junip. m. ij. cort. baccar. Lauri m. j., Thur. lib. ſs. fol. Abſynth., Rut., Querc. a. m. ij., limatur. Lign. Junip. m. iiij., Ambr. alb. unc. j., f. pulv. utatur ut ſuprà.* Imò pro eiſdem ſatis ſufficiet uſus, vel *Sulph.*, vel *Roriſm. comb.* cujus mirifica vis ex ſuperiùs dictis innoteſcit.

Nonnulli tamen ſunt, qui pravis fœtidiſque odoribus à peſte præſervari poſſe teſtantur, & Scęnckij verba in ſuis *obſerv. med. lib. 6. de peſte pag.*

 mihi

mihi 884. pro auctoritate referunt, ait enim, *experientiâ comperi Coriarios, qui in media Lutetia habitant, raró peſte corripi, quo etiam tempore eâ in Urbe ſæviit crudeliùs, graveolens enim vapor, quo tota vicinia perfuſa eſt, peſtilentem Aerem vix intrò ſubire in eorum Caſas patitur, ſemel autem ingreſſus miram ſtragem facit.* Verùm quidquid iidem perpauci ſentiant, cum univerſali Medicorum conſenſu fateri audeo, quod ſicuti Domicilia propè Charoneas, Lacunas, ac Paludes vitanda ſunt, prout à venenatis harum vaporibus peſtis produci poteſt, ut ſuperiùs in prima Parte pag. 88. plurimis auctoritatibus comprobavi, hinc arduum ſanè cenſeo, fœtentes odores à peſte præſervare poſſe, multòque minùs iiſdem utendum eſſe profiteor, dum ſuaveolentia, & odoroſa à ſingulis, peſtilentibus in conſtitutionibus mirum in modum celebrantur, quare abſurdum quidem opinor præſervationis gratiâ fœtentibus uti, cùm gratiſſima, ac odoroſa eligere poſſumus. At Coriariorum

Cur fætentes odores peſſimi ſint; contrà nonnullos.

odores

odores verè fœtentes dici nequeunt, ſed potiùs ingrati, ſi enim Palmarius *l.* 15. *de febr. peſtil.*, & prædictus Schenck. Coriarios peſte non corripi aſſerunt, non per hoc fœtidos odores, neque fœtentia loca, à quibus impuri, ac venenati vapores elevari poſſunt, commendant, quamvis pelles, & Coria poſt Epidemicam Armentorum luem pertractare, valdè ſuſpectum ſit, ac perniciosum, & per hoc maximè, quod ſi inficiantur Coriarii, graviùs afficiuntur, juxtà illam particulam, *ſemel autem ingreſſus miram ſtragem facit*; unde arguendum ſanè arbitror, primò, quod Coriarij munus peſtis præſervativum, nec tutum ſit, nec continuum: ſecundò, quod eorumdem odor, majorem peſtis activitatem ſæpè inducit, atque coadjuvat, undè *miram ſtragem facit*. Quilibet ergò graveolens odor vitandus eſt, gratiſſimis autem utēdum, Domuſque ipſa ab omni ſordium genere non tantùm mundanda eſt, ſed prefatis ſuffumigiis, ac odoribus premunienda. Studendum igitur, eſt quod *Mundæ ſint viæ, & Domus.*

mundæ ſerventur Plateę, Vię, atque Domus, nec in illis infectorum, aliorumque urinæ ac excrementa, vel animantium ſtercora proijciantur, Aere enim eiſdem magis inquinato, peſtilens Contagium faciliùs excipient, fovebunt, atque expirabunt, & ab eiſdem ſicuti ex aliis infectis Corporibus peſtis, vel orietur, vel propagabitur.

Cubicula irroranda ſunt.

Hinc, præter hactenùs dicta, cubiculorum irroratio, quàm maximè celebratur, ut ex *Aceto*, *aqu. roſ.*, *Lavend.*, *aqu. flor.*, *& cort. Citri*, *Auranc*, *Limonum*, *Cidon.*, ſicuti & eorumdem *Flor.* proſtratio, ut *Viol.*, *Roſ.*, *Carioph.*, *Lil. conval.*, & ſimilium, ut pluribus in locis Arabum Princeps, & præcipuè in *tom.2. lib.4. Fen.1. tract.4. cap.4. & pag. mihi* 68. copioſis ſuadet præceptis, & præſertim his verbis, *Et roretur Domus eorum omni die aliquoties, & propriè cum aqu. Roſ., & de Salicibus, & de Nenufare, &c.* In Autumno tamen, & hyeme, ſi prædictæ aquæ, vel flor. defficiant, ſuppleri poterit *Aceto*, cujus

pænu-

pænuria maximè vitanda eſt, ob ingentem ejuſdem Aerem depurandi, & à putredine præſervandi efficaciam, ut clariùs ſequenti Capite deſcribam.

Hæc ſuffumigiorum genera Aerem depurantia à Medico præſcribenda ſunt juxtà *Gal.*9. *Meth.c.*14.*p.m.* 58. neque in Cubiculorum electione ejuſdem contemnendum conſilium, dum hæc quò magis altiora ſunt, eò perfectiora ab ipſo comprobantur. Hinc à Solis ortu uſque ad Meridiem in eumdem aperiantur Feneſtræ, claudantur autem verſus occaſum, quarè celebre eſt Divini Senis in *Com. ſtat.*2. *peſtil.* præclariſſimum monitum, quod feneſtræ ad Auſtrum appoſitæ claudendæ ſunt, quę verò ad Aquilonem aperiendæ. Talia tamque neceſſaria pręcepta confirmat pariter in lib. *de Aere, loc. & aqu.* dum *pag.*281. Aeris conditiones, ità explicat, *& Urbes quidem quæ Soli, & Ventis probè ſunt expoſitæ, & aquis probis utuntur, hæc quidem hujuſmodi mutationes minùs ſentiunt; quæ verò aquis Paluſtribus, ac Lacuſtribus utuntur,*

Quales eſſe debeant Domus, & Feneſtræ.

tur, neque probè Ventis, ac Soli ſunt expoſitæ, eæ magis ſunt obnoxiæ, & clariùs ſe explicat dicendo, *quæ quidem Soli orienti ſunt expoſitæ eas ſalubriores eſſe par eſt his, quæ ad Septentriones, & Ventos calidos obverſæ ſunt, & ſi Stadium unum interſit*, & in alterâ *pag.*283. è converſo ſcripſit, *at verò quæ ad occaſus ſunt expoſitæ, & à Ventis, qui ab Oriente ſpirant obtectæ, tùm à calidis Ventis, tùm etiam frigidis à Septentrione leviter perflantur, harum Urbium ſitum, maximè morbo obnoxium neceſſe eſt.* Quarè nil mirum ſi teſte Plut. non aliter Patriam ſuam à Peſte liberavit Empedocles, niſi per hoc, quod diviſos Montes, è quibus Auſtrales Venti in copiâ efflabant, muro obſerravit, & de Varrone confirmant Hiſtorici, qui Corcyram Urbem (teſte Mercuriali *pag. mihi* 643.) Peſtilenti Contagio immunem ſervavit, feneſtras tantùm ad Auſtrales, calidoſque Ventos claudendo, ad Septentrionales autem aperiendo, quarè non aliter concludendum opinor,

nor, quàm præclariſſimo Marſilij Ficini Monitu, *Cave ne ventorum flatus ab Auſtro verſus te ſpiret.*

CAPUT III.

De Cibo, & Potu.

AB Aeris neceſſariâ qualitate ad debitam Victus methodum præſcribendam deſcendo, hęc enim non minùs quàm reliqua ad Peſtis pręſervationem requiritur, dum ſingulis evidens eſt, ut jam ſuperiùs innui, quod ex putridis alimentis, ut fructibus, frugibus, carnibus ingeſtis, aut ex quolibet alio pravorum ſuccorum genere, maximam ad peſtem, & putreſcentes, corruptoſque producendos humores, oritur cauſa, ut clariſſimè teſtatur Gal. *lib.* 1. *de differ. febr.*, atque hinc non levis in eorumdem uſu pręcautio adhibenda, quâ poſitâ à malignâ Aeris infectione facilè liberari nos

poſſe, docet idem Gal. dum *in com.2. in 1. Epid. text.7. pag. mihi* 77. & in Com.3. *in* 3. *Epid. text.*32. *pag.*109. ait, *offenſiones Aeris peſtilentis, victus genere inſtituto à tempeſtate dominante diverſo, facilè declinabis.* Salubris enim vitę Mater eſt Temperantia, & hac ſolâ in celeberrimà Athęnienſi Peſte ſe incolumen ſervaſſe fatetur Socrates. Ut autem de ſingulis procedam, monendum in primis eſt, quod circà quantitatem hęc moderata, & tanta ſit, quę à Ventriculo optimè concoqui poſſit. Hinc evitanda erit inędia ſemper periculoſa, ut ſcripſit Gal. *in Hip. de vict. rat. in Acut. Com.2. pag. mihi* 184. *text.*28. *læditur quippè, atque affligitur ob longiorem inędiam Ventriculus*, & Avicen. *lib.*1. *fen.*3. *doctr.*2. *cap.*7. *de regimine ejus quod comeditur & bibitur pag. m.*164. maximè hortatur, quod non debet quis parum comedere, ne indè virtutis debilitas ſequatur, pręcipuè tempore peſtis, quo fames, & ſitis nullo modo eſt toleranda, & ratio à dicto Avicenna erui debet, dum

Quantitas alimentorum.

dum ait, *ſitis Corpus accendit taleque Corpus accenſum à veneno peſtifero calido, promptiùs afficitur.* Idem à fortiori dicendum erit de nimia repletione, à quà Ventriculi calor obruetur, hæc itaque evitanda, ſed neceſſario tantùm utendum alimento, quod in genere optimi ſucci ſit, faciliſque concoctionis, ac naturæ familiare, nec ingratum. Hinc cibi nimis viſcidi, ſubtiles, multùm inflammabiles, omnes fructus quàm maximè vitandi ſunt, & præcipuè *Ceraſa*, *Prunæ*, *Fungi*, & reliqua facilè putreſcentia, & è contrà eligi poterunt *Aurancia*, *Cidonia*, &c. quæ putredini etiam non parùm reſiſtunt. *Qualitas ciborum.*

Omnia herbarum genera ſuſpecta ſunt præter *Acetoſam*, *Pimpin*, *Salv. Borag.*, *Meliſ.*, *Fænic.*, *Bugloſ. Lupul.*, *Portul.*, *Petroſel.*, & ſimilia, vel Cephalica, vel malignitatem oppugnantia. *Herbæ ſuſpectæ ſunt.*

Idem ferè dicendum de ſingulis leguminibus, quæ tali tempore valdè infenſa ſunt, prout vires ſtatim enervant, *Legumina mala ſunt.*

ut

ut præter experientiam teſtatur Hipp. *in ſuis Epid.* & præcipuè in *lib.* 2. *in fine* 4. *ſect. pag. m.* 1037., & in *lib.*6. *qu.*4. *text.*11. *pag.* 1180. his verbis, *in Æno,* (Thraciæ ſcilicet Urbe) *qui continenter leguminibus veſcebantur, tùm Mares, tûm Fœminæ, crurum impotentiâ & dolore conflictabantur, cum quo vitam tolerabant.* Alimenti enim impuritas Corpus gravat, & Membrorum actiones exoluit, undè crurum, & partium firmitas, quibus erecta noſtri Corporis Machina innittitur, emollitur, ac enervatur.

Alimenta non debent eſſe varia.

In Genere autem à nimiâ Ciborum diverſitate, & ingeſtione prçcavendum, cùm enim nimij ſint, æquabiliter digeri nequeunt, quarè Avic. *lib., cap.,* & *paginâ ultimò aſſignatâ* docet, quod *nihil quidem deterius eſt, quàm diverſa Cibaria ſimul adjungere*, & alibi ad ingeſtionem ſuprà ingeſtionem condemnandam ait, *quod enim in Corpore eſt deteriùs, eſt nutriens, ſuper nutriens quod non eſt digeſtum, mittere*, & ratio mirificè à Galeno in *Hipp. de rat. vict.*

Omnis ingeſtio ſuprà ingeſtionem mala.

vict. in morb. Acut. Com.3. *text*.35. *pag. m.* 194. traditur his verbis, *Cibos multiplices, & facultate diſſimiles Ventris perturbationem gignere*, quod à Seneca in *Epiſt.*ad Lucillum confirmatur dicente, *ubi ſunt diverſa, & ſuper ingeſta Cibaria, inquinant, non alunt.*

Panis optimè ſit cum ſale, Aceto aliiſque odoriferis pulveribus confectus, perfectiſſimè fermentatus, & lento igne coctus juxtà Gal.monitum, qui *claſſ*.4. *de alim. facul. lib*.1.*cap*.2.*pag. m.* 12. ait, *Concoctu autem inter Panes ſunt facillimi, qui plurimum ſunt fermentati, & pulcherrimè ſubacti, quique in Clibano igne moderato fuerunt aſſati.* *Qualis eſſe debeat Panis.*

Carnes quàm maximè perfectæ ſint, nec ſuſpectis è locis extractæ, quod maximè cavendum eſt hiſce præcipuè temporibus, quibus de quolibet Bove, aut Vitulo legitimè ſuſpicandum occurrit: Eorum enim Carnes nonniſi ſummâ cum cautela comedendæ, quę cum infectæ ſunt, facillimè inficere poterunt; ſcripſit etenim Joan. Wierus. *Quæ Carnes.*

cap.

cap.30. de preſtig. Demon., quod anno 1552. peſtilens inter Oves graſſabatur morbus eaſdem de repentè interficiens, quarum ſanguis ſi humanam Carnem tangebat, Antraces ſtatim progignebat: Securæ igitur, optimi ſucci, & concoctionis eligantur, in montanis locis enutritæ, & taliter pręparentur, ut potiùs exſiccandi vim habeant; quarè craſſæ, antiquæ, pingues, & humidiſſimæ erunt damnandæ, quales in primis ſunt Caprinæ, vel Agni, undè Vituli, montanarum Avium, Pull., Columbarum, Perdicum, Turturis, Turdorum, & ſimilium optimus erit uſus, juxtà Gal. in *lib.7. meth. Med. pag. m.* 882. qui ait, *ad eumdem modum, & Perdicibus, & Montanis Aviculis, quę Carnem mollem ſortiuntur veſcendum, vitanda autem, & quæ paluſtria ſunt, & quæ Carne ſunt dura*, quorum juſcula unà cum aceto, multo ſale, herbiſque odoriferis, vel agliis, aut cępis quolibet in edulio valdè proficuis, ſicuti, & aromatibus, ut *Cynamomo*, *Caryophil.*, *&c*, confici poterunt.

Acetum

Acetum autem hiſce temporibus in omnibus ferè alimentis frequentiſſimũ ſit, atque copioſum. Neceſſarium etenim eſſe ſinguli tradunt Hiſtorici, ac Medicinę Principes, & inter omnes ſufficiat tantùm Avic., qui in *lib.* 4. *fen. p. tract.* 4. *cap.* 5. *pag. m.* 71. ejuſdem efficaciam plurimis verbis collaudat, ſed hiſce præcipuè, *& condita in aceto juvativa ſunt, & propriè Capparis aceto condita,* quod ab eodem clariſſimè confirmatur *in lib.* 1. *fen.* 3. *doct.* 5. *cap.* 1. *circá finem p. mihi* 181. dicendo, *aceto prætereà in cibo, & potu uti in peſtilẽtiâ, eſt nocumenti ipſius ſecuratio,* & quò fortius illud erit, eò præſtantius, præcipuè ſi ex vino albo, & generoſo efficiatur, in quo quàm maximè commendari ſolet infuſio *Baccar. Junip., rad. Pimpin., Angel., fol. Beton., Celidon., Rutæ capr.,* nec non *cort. Citri &c.*

Aceti neceſſitas, & utilitas.

Piſces à nonnullis damnantur, admittuntur ab aliis. Primi propter nimiam eorumdem humiditatem eos negant, quia facilè corruptibiles; Secundi

Utrum Piſces comedẽdi ſint.

verò

verò eiſdem veſci poſſe conſentiunt, quia peſte infici non poſſe teſtantur, ut inter plurimos docet *Ariſtot. 8. de Hiſt. anim. cap.* 19. & 20., idque duplici ratione confirmat. Primò, quia per ipſum 4. *Meteor.* Mare nunquam putreſcit, unde nec ejuſdem Animalia: Secundò quia aerem non attrahunt, quare ab eodem infici nequeunt. Singuli verò unanimiter in hoc conveniunt, quod ſi eoſdem comedendi urgeat neceſſitas, cum ſale, & aceto conditi reliquis ſunt prẹferendi, dummodò à Lacunis, ac Paludibus non extrahantur, omnium enim perniciofiſſimi ſunt, ut potè in fẹtidâ, limosâ, ac ſemi-corruptâ aquâ enutriti.

Ova recentia optima

Neque minùs laudabilia ſunt Ova recentia, quia multùm enutrientia, ac roborantia, ut teſtatur Gal. 8. *meth.*, & Plinius *lib.* 29. *cap.* 3., ubi de Ovis diſſerendo ait, *nullus eſt alius cibus, qui in ægritudine magis alat, neque oneret, ſimulque vim potus, & cibi habeat.*

An Lacticiniis

Singula lacticinia ſuſpecta ſunt, quia facilè

facilè corruptibilia, præter parum Caſei dummodò recens ſit, nec putreſcens; ille enim ſicut coagulo formatur à nonnullis in peſte admitti ſolet, quia ſuâ aciditate putredini repugnare arbitrantur; ab alijs autem damnatur, quia prout ſero expoliatus, & craſſiori ſubſtantiâ conſtitutus, obſtructiones in peſte maximè fugiendas, & malos ſuccos producit, ut docet Galen. 3. *de alim. facult. cap.* 15. *&* 17. *p. mihi* 30. 31. parciſſimè igitur eo utendum cenſeo, quia concoctu difficilis, & craſſiori ſucco imbutus, eòque magis ab eo abſtinendum reor, prout ille *peſſimi Edulij* ſub nomine ab eodem Gal. *in Hipp. de vict. rat. in acut. com.* 3. *text.* 91. *p. m.* 208. hiſce verbis appellatur, *ſed ne alias quidem bonum edulium cenſetur Caſeus, quippè qui craſſum ſuccum, & concoctu difficilem generat; gravat enim os ventriculi, & primus ipſe corruptus cętera deindè ſecum corrumpit*, antiquus autem ſaltem non ſit, ſed recens, quia minùs malus, ut pręf. Gal. *de cibis boni, & mali ſucci cap.* 4. *p. mihi* 37. optimè ait,

uti poſſit, & prę ipuè Caſ o, & quo.

ait, *craſſi quoq; ſucci eſt Caſeus omnis recens vitioſi ſucci expers eſt, vetus ſucci malitiam habet adjunctam.*

Quale debeat eſſe Vinum.

Neque minor in Potus electione cautio eſt adhibenda, quarè Vinum ſemper vetus ſit, quia Spiritibus magis copioſum, atque excrementis defæcatum, ut ſcripſit Gal. *in lib.7. meth. pag.m.* 882. (typis ſcilicet Baſileæ 1571.) dicens, *Rurſus novellum Vinum, tùm aquoſius, tùm imbecillius quodammodo eſt, quàm ut Vino conveniat, adde etiam quod ægrius concoquitur, & magis excrementoſum eſt, antiquius verò, ut vinoſius eſt ità vehementius exiſtit*. Nomine autem *Vini aquoſi* illud intelligere fatetur, quod purum eſt & tenue, minimamque aquæ miſtionem ferens. Ad auſteritatem declinans potiùs ſit, quàm dulce, hoc enim juxtà Ariſtot. *ad Alex.*, *& Gal. in Hippocr. de vict. rat. com.3. text.2. pagin. m.* 189. obſtructiones progignit, undè ait, *quapropter non modò ex partibus obſtructis quidquam adimet, ſed etiã obſtructiones adaugebit*; cui ſe ſub-

ſcribit.

ſcribit, *Avicen. in tom.* 1. *lib.* 1. *fen.* 3. *doctr.* 2. *cap.* 8. *pag. m.* 170., dum inquit, *Vinum verò groſſum, quod eſt dulce, eſt melius illi, qui vult eſſe pinguis, & fortis, ab oppilationibus tamen ejus ſibi caveat*; obſtructiones enim ſemper vitandæ ſunt, at præcipuè tempore Peſtis. Alii autem cum Plutar. *lib.* 6. *quæſt. cap.* 7. Vinum peſtilenti tempore percolandum eſſe cenſent; verum tamen eſt, quod perpauci idem ſentiunt, & de craſſo ſaltem tantum intelligendum opinor; licèt enim Plut. *tritici* exemplum referat, diſparitas ſatis innoteſcit, dum in tritico impuræ ſordes à vero Frumento ſecernuntur, in Vino verò, non niſi mediâ deſpumatione, ac in Dolio defæcatione depurari poteſt; generaliter autem non niſi poſt notabilem comeſtionem bibendum eſt, ut ſentit Avic. *lib.* 4. *fen.* 7. *tract.* 4. *c.* 6. *pag. m.* 251. his verbis, *potare Vinum in jejunio quandoque extenuat, iterùm per hoc, quod reſolvit, & per hoc quod replet venas vapore &c.* quod maximè peſtilenti tempore obſervan-

dum eſſe docet Hippocr. *in ſuis Epid.* & Gal. *de ſan. tuend.* Vinum itaque nec craſſum ſit, nec extraneo odore infectum, odores enim Caput calefaciunt; Malvaticum è contra optimum eſt, ac montanis è Vineis perceptum, undè Montisferrati, & Pedemontij Vinum perfectius cenſetur, quia craſſum non eſt, ſed facilè ob naturalem ſpiritum permeabile, & præcipuè *ſi Abſynth.*, *Roriſm.*, *& Lavend.* ipſi admiſceantur.

Aqua qualis eſſe debeat. Aqua verò, quâ illa temperanda ſunt, aut quæ pro conſueto potu adhibenda erit, perfectiſſima quoque ſit, pura, atque ex mundis Puteis extracta, undè optimum ſanè erit Puteos mundare, ut ſalubrior aqua extrahatur, nil enim, tùm ad Hominum, tùm ad Animantium uſum magis neceſſarium, quàm aquarum ſalubritas, & ubertas, dum ſine aquâ, nec Corpus Animantium alitur, nec ulla ciborum virtus naſci poterit, nec enata conſervari. Ad aquarum autem ſalubritatem dignoſcendam non leviter confert vegetus ac

floridus

floridus Incolarum aſpectus, ex quo Aeris pariter ſalubris conſtitutio deducetur. Verùm ex hoc pariter optima aquæ puritas argui poterit, ſi in vaſe æneo effuſa, maculas aut limoſitates non relinquat, quæ ut plurimum apparent, ac ſubſident, ſi ab infectâ, aut paludoſa ſcaturigine extrahatur. Ex aliis fontibus dummodò limpidæ illę ſint, pravæ non habentur, quamvis ob Brutorum, vel Hominum etiam infectorum in eiſdem frequentem hauſtum, quàm maximè ſuſpectæ ſint, ne ab aliquo inquinatæ fuerint, quapropter puteales, ac domeſticæ præeligendæ ſunt, quia tutiores, reliquæ verò removendæ, ac damnandæ, quia vel infidæ, vel paludoſis è Ciſternis, aliiſque locis aſſumptæ; quarè nec pluviales peſtilenti tempore permittendas eſſe ferè ſinguli profitentur, quia maximè perniciosæ juxtà Arvæi auctoritatem, *ubi peſtis ab Aere venit, pluvialis damnoſa erit, & pręſtantior altiſſimi Putei aqua.*

CAPUT IV.

De Somno, & Vigiliâ, Motu, & Quiete Excretis, ac retentis, & animi Pathematibus.

Qualis eſſe debeat Somnus.

SOmnus quamvis ad naturæ levamen inſtitutus videatur, unde à Gal. de *ſympt. cauſ. Animalium facultatum quies dicitur*, ſummâ tamen cautelâ eſt uſurpandus, ut coctiones ritè perficiantur, ſicuti admonuit Avic. *lib.*1. *fen.*3. *doctr.*2. *cap.*9. *pag. m.* 171. his verbis, *Somnus moderatus virtutem naturalem potentem efficit perficiendi ſuas operationes, & eſt Animalem virtutem quieſcere faciens*, unde excedens non ſit, ne Caput totumque Corpus opprimatur, ac pituitoſis repleatur excrementis, ſenſuſque obtorpeſcant: undè nil mirum, ſi Mercurialis *in tr. de febr. lib.*5. *cap.*27. *pag. m.* 643. ait, *Somnus quoque nimius torporem gignit, humiditates, & excrementa pro[illegible]cit,*

ideò

ideò qui plus dormiunt , fiunt non modò decolorati , verùm etiam impotentes ad reſiſtendum Aeris injuriis. Meridianus pravus eſt , niſi naturæ familiaris , ſed à Cibo remotus ſit , & brevis , quarè prædictus Avicen. *citato loco* , ſed *pag. mihi* 172. ait , *in die quoque dormire eſt malum , generat enim ægritudines, laſſat nervos , & generat apoſthemata, & febres frequenter.* Lectus autem mundus ſit , ac mundiſſima lintea , quæ gratiſſimis herbis inodoranda ſunt,ſicuti in ipſo lecto ſacculi eiſdem , aliiſque floribus pleni ſervandi quoque , quales eſſe poterunt *Abſynth.* , *Rut.* , *Roriſm. Camedr.* , *Roſ.* , *Lavend.* , *&c.*

Vigilię è contrà infenſiſſimę ſunt,quia ſpiritus diſſipant , ac naturales Viſcerũ functiones infirmant juxtà Gal. pluri- mis in locis , & præcipuè 12. *meth. c.5. Vigiliæ lædunt vires , nec non ipſas reſolvunt* , ut *in ſuis Aphor.* confirmat Hippocr. , & præcipuè 6. *Epid. ſect.* 4. ſin autem moderatæ ſint , vividiores , & alacriores produci ſpiritus permittunt. *Nimiæ, Vigiliæ, malæ.*

Quale debeat eſſe exercitium, & motus.

Exercitium pariter, ac *Motus* excedens non ſit, ne ſpiritus magis accendantur, ac diſſipentur, Corpus enervetur, humoreſque acriores reddantur. Motus enim ad Sanitatem quàm maximè conferre, ſi ipſe ſit moderatus, ſatis evidens eſt, ut præter experientiam ipſe docet *Ariſtot.* 2. *Ethic. Exercitium temperatum conſervat Sanitatem*, & Avicen. *anteriori citato loco*, ait, *ſi Homines debito tempore moderato exercitio, ac labore uterentur, carere poſſent multis medicamentis.* Hinc mirificè Plato monuit, *Corporum habitus otio, & torpore corrumpitur, exercitatione autem, motuque plurimum conſervatur*, & ratio à Gal. petenda eſt qui in *coment. Aphor.* ſcripſit, *exercitia poſſunt purgare ſuperfluitates ſingulis diebus collectas*, & *claſſ.4. lib.4. de Sanit. tuend. cap.6. pag. m.* 70. ſubdit, *exercitatio, & frictio trahunt foras humores.* Talium autem humorum peſtis tempore conſumptiones, ac evacuationes maximè neceſſarias eſſe, nemo neſcit, quia per eaſdem impurita-

tes,

tes, tamquam ex prævia præparatione, peſtis miaſma intra ſanguinem introducitur, moderatum tamen ſit, ac in optimo Aere efficiatur, ne liquidorum maſſa nimis accendatur. Quantum autem ad peſtilentes præcavendos morbos conferat, pręter Rhaſis exemplum, qui peſtilenti in quadam conſtitutione neminem ex Venatoribus periiſſe deſcribit, rectiùs à Galeno comprobari videtur dum in *claſſe 2. de diff. febr. lib. 1. cap. 4. pag. m. 30.* clariſſimè docet, *ſic, & cùm Aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè fuerit converſa, peſtilentes quidem oriri morbos eſt neceſſarium, ut plurimum verò quicumque fuerit ſuperfluâ humiditate plenus, & moderatis laboribus ſe exponit, in omnibus hujuſmodi diſpoſitionibus nullam omninò ſentit offenſam*; Otioſa enim corpora majori excremētorum copiâ abundant; ſin autem vehementiùs exerceantur, magis relaxantur, atque incaleſcunt, & faciliùs ad Aerem pravum, ac inquinatum recipiendum diſponuntur,

quare jure meritò Hipp. *in lib. de nat. hum.*, & Avic. *citato loco*, moderatam quietem in Peſte maximè celebrant.

Notandum autem hìc eſt, quod ſinguli debitam, tùm in exercitio, tùm in quiete, & otio proportionem, & moderatam præſcribunt cautelam, unde ſi alter nimis excedat, proximiorem ad peſtilens recipiendum venenum diſpoſitionem inducet. Verùm hic omittere nequeo præclariſſimum, ac verè aureum Catonis exemplum, qui exercitium verè moderatum ad miſerrimam noſtræ vitæ reparandam caducitatem, hiſce verbis commendat, *Vita humana veluti ferrum eſt, ſi hoc exerceas conteritur, ſi non exerceas, tamen rubigo interficit, itidem homines exercendo conteri videmus, ſi non exerceas inertia, ac torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitatio.*

De excretis, & retentis.

Circà *excreta*, & *retenta* maxima pariter cautela adhibenda eſt, omnis enim evacuatio, quæ à natura tentari poteſt, præcipuè per ſudorem, nullo

unquam modo ſupprimenda erit, quia per ipſum prima peſtilentiæ ſeminia à vegetioris naturæ providentiâ expelli poterunt. Alvus ſemper lubrica ſervanda eſt juxtà commune effatum, *Alvum quotidie fluere multum pro valetudine eſt*, ut confirmat Divinus Senex in *lib. de Aere, aquis, & loc.*, & *Gal. com.* 6. *aph.* 33. quia iſti minùs peſte, morbiſque acutis, aut ſaltem rariſſimè tentari ſolent; quare qui naturaliter alvum lubricam non habent, arte tentare debent, ut inferiùs clariùs oſtendam.

Verùm ratione *Excretorum*, & *Retentorum*, nonnulla pariter de *Veneris* uſu innuenda neceſſarium, ac perutile cenſeo; Coitum enim ad excretionem, & retentionem refert Gal.6. *de loc. aff. cap.*5. *pag. m.* 38., & *ſequ.*, quamvis Hipp. *in ſuis Epid.* poſt ſex res non naturales illum conſtituat. Hic igitur univerſali Medicinæ Principum ſuffragio omnimodè intermittendus eſt, ac prohibendus in Senibus, aut ſaltem in non Juvenibus, ne ex nimiâ ſeminis profu- *Cautelę in Veneris uſu.*

profuſione nimia pariter ſpirituum diſſipatio inducatur, Corpus enervetur, humorumque inſueta excalefactio promoveatur, quare major veneno reſiſtendi impotentia excitabitur, faciliùſque peſtis imbecille Corpus invadet, ut probat Gal. *lib.* 14. *de uſu part. & lib.* 1. *de ſem. cap.* 16., necnon *Ariſtot.* 4. *problem.* 15. his verbis, *cùm itaque in veneris congreſſu ſpiritus plurimum propter delectationem reſolvantur, hinc fit, quod qui in Coitu plurimum delectantur, in majorem quoq; debilitatem incidant*, idem ferè aſſerit, imò eadem penè verba refert Avicen. *tom.* 1. *lib.* 3. *fen.* 20. *tractat.* 1. *cap.* 11., *pag. m.* 889. Intermittendus autem omnimodè non eſt Juvenibus bono habitu præditis, & euchimis alimentis aſſuetis, ut notat Maſſaria *lib.* 2. *de Peſte*, excedens tamen non ſit, ſed moderatus, unde *Gal. claſſ.* 4. *lib.* 6. *de Sanit. tuenda, cap.* 6. *circà fin. pag. m.* 81. *veneris mediocritatem pravos ſuccos habentibus* convenire teſtatur, & *in lib.* 2. *cap.* 2. *cit. loc. pag. m.* 54. ait, *Venus ætatem tantum*

floren-

florentium eſt , utique pro tempore etiam ejus uſus eſt ; atque idcircò Adultis malus, deterior Senibus, quia ſpirituoſior ſanguinis portio nimis abſumitur, unde nil mirum ſi prædictus Ripa *pag.*50. *n.*163. in peſtis ſuſpicione ſingulas eijciendas Meretrices, imò ſupplicio puniendas eſſe deſcribat, quarè in *num.*9 *de remed. contra Peſtem* ait, *tempore peſtis ſeparandæ ſunt Fœminæ à Maſculis, quia coitus auget peſtem*, & à Mercuriali *ſuperiùs cit. loco* petenda erit ratio, dum Venerem fugiendam ſuadet, quia ſordida reddit corpora, & ex Mulierum commercio, quidam calor *putrefactivus* inducitur, quarè Ariſtot. 21. *partic. problem.*20. ut refert Theophraſt. *Hiſt. plant. lib.*7. *pag. m.* 813. Veteres tempore peſtis Mentham ſerere vetuiſſe teſtatur, quia ab eadem ad libidinem excitati Homines imbecilliores efficiebantur, quamvis dictus Theoph. unà cum pluribus Auctoribus Venerem potiùs inhibere, quàm ſtimulare oſtendat.

Animi denique violenta *Pathemata*, &

& præcipuè anguſtativa, compeſcenda pariter ſunt, quàm maximè enim in peſte ad venenatam hauriendam luem conferre ſinguli confirmant. *Ira.* Ira enim humores, & ſpiritus vehementiùs calefacit, exagitat, & confundit, atque ad peſtilens recipiēdum venenũ promptiùs diſponit, teſte Diemer. *hiſt.*20. *p.*373.

Terror, & metus mali ſunt. *Terror*, & *metus* maximè omnium periculoſi affectus ſunt, quia ſpiritus inordinatè movendo, ambientem malignitatem versùs interiora alliciunt, & *mœſtitia* violentâ Cordis contrictione Spiritus, vitalemque flammam ferè opprimit, undè celebre eſt illud Avic. Monitum, *ſicuti mala victus ratio præparat humores, ſic animi paſſiones ſpiritus ad peſtem recipiendam & triſtitia, terror, ira, & metus ſunt pabulum, & nutrimentum Peſtis*, & Ripa citatâ pag. ait, *ſuboritur peſtis ex triſti imaginatione concomitatâ timore, nam ſpiritus triſtis perturbat viſcera, & caſum facit imaginatio.* Hinc Sennertus in *lib.* 4. *de febr. cap.* 20. ex ſolâ terrificâ imaginationis vi, quamplurimos peſte

corre-

correptos noviſſe deſcribit, inter quos nonnullos recenſet, qui Currum peſte extinctos deferentem eminùs inſpiciẽtes, vel Domi incluſi ejuſdem ſtrepitum percipientes ſummè perterriti, peſte ſtatim aggreſſi fuere. Quãtum enim ad peſtem facilè recipiendam præparet timor, ſatis ſuperiùs ex Galeni auctoritate comprobavi, cui addendum non incongruum cenſeo, quod Fallopius *de Bubon. peſtil. cap.* 8. mirificè ſcripſit, *futuræ* ſcilicet *peſtis metum, atq; intentam cogitationem, ſæpè eam allicere profitemur, multoſq; integrè ſanos illius ſolius terrore, metuque percuſſos repentè vitium ſenſiſſe teſtamur, ac nonnullos à peſte è medio ſublatos.* Quod enim mediâ forti cogitatione, triſtique imaginatione timemus, ſępiſſimè Cor afficit, quare id ipſum in eodem imprimitur, quod tantoperè metuetur; atque hinc eſt, quod Helmontius, ejuſq; Sectatores à terrificâ imaginationis vi Peſtem non ſolùm dependere arbitrantur, ſed ad ejuſdem pręcautionem, neceſſariam in peſtem non incidendi fiduciam

Cur triſtis imaginatio Peſtis tempore ſit pernicioſa.

conſti-

conſtituunt, neque alia eorumdem eſt ratio, niſi quod tali fœliciſſimâ ſpe noſtri ſanguinis exhilaratus *Archeus* omnem non ſolùm excutit metum, ſed contrariam eidem peſtilenti timori, & ideam, & conceptum recipit, unde fortior venenato reſiſtendi miaſmati efficitur; quare nil mirum ſi triſtitia, & mœror in ſingulis peſtiferis conſtitutionibus ſummoperè per Muſicam, & Cantum, Animi ſcilicet lętitiam, & hilaritatē ab Antiquis removebantur, unde P utarcus de Muſica differens, Lacedemones gravi peſte conflictatos per Thaletem Cretenſem eximiū Muſicum perſanatos fuiſſe teſtatur; imò Homerus *Illiad.* 1. Græcos ſolo cantu peſtem expuliſſe deſcribit, non quod Muſica peſtem fugare poſſit, ſed quia ad eamdem fugandam lætus animus confert juxtà illud celeberrimi Hiſtorici, *confidentes ut plurimùm ſervantur, meticuloſi contrà facilè corripiuntur.*

Muſica cur in Peſte laudanda.

Ultimò demùm circà res non naturales hoc addendum cenſeo, quod nec minor

Veſtium cautela.

minor in Veſtibus cautio eſt adhibenda, quàm in reliquis, cùm enim, ut in principio innui, per eas peſtis ipſa propagetur, cùm Veſtes fomites ſint, ac inquinamentorum ſemina juxtà mirabilẽ Augenij mentem *in* 1. *Part. pag.* 31. *citatam*, hinc ab omni illuvie, ac ſordium genere mundandæ, & ex lanâ confectę maximè ſuſpectę ſunt, dum faciliùs imbibuntur, ac reliquæ; proptereà ex tela, ut plurimum efficiuntur, quia per hanc peſtilentis ſeminij miaſma nec recipi, nec referri poterit, aut ſaltem rariùs communicabitur. Quæcumque tamen hæc indumenta ſint, variis ſemper odoribus reparentur, ut *flor. Roſ.*, *ligni Aloes*, *Camph.*, *fol. Menth.*, *Lavend.*, *Roriſmar.* aliarumque ſuaveolentium herbarum, & præcipuè *Citriis malis*, à quibus ſpeciatim juxtà Theophraſt. *lib.*4. *de Hiſt. plant. cap.*4. *pag.m.*322., à carie, peſte, & putrefactione liberantur; ità ſuffumigiis ex *aceto*, *bacc. Laur.*, *Iuniperi Fraxin.*, *fol. Rut.*, *Salv.*, *Abſynth. &c.* præmuniri poterunt, aut ex ipſis

ſacculi

ſacculi conficiantur, qui in eiſdem retineantur, & conſerventur. Juvabit autem ſequens, vel conſimili formâ parandus.

℞. *Flor. Lavend., Roſ. rubr., an. m.j, Viol., Nimph., Menth., Meliſſ. a. unc.j., Rutæ m.j., Roriſmar. p.ij., cort. Citri, Santal. Citrin. an. unc.ſs., rad. Ireos dr.ij, Caryoph., Maciſ. an. dr.ſs., reponantur omn. in ſacculo, & ſerventur in linteis, & veſtibus.*

In eorumdem tamen uſu cavendum eſt in Fœminis ad Uteri ſuffocationes proclivibus, quibus miſceri poterunt fœtida alia odoramenta, ut *Caſtor., Galb., Ruta, &c.*

Hæc quoad neceſſarium ſex rerum non naturalium uſum, & præcautionem reparationis gratiâ ſufficiant, nunc videndum inſuper eſt, quæ, & quot interna requirantur præſidia, ut tutior ab eâdem præſervatio inſtituatur.

CAP.

CAPUT V.

De internis Remediis ad Peſtis Prȩſervationem neceſſariis.

NEceſſariâ ſex rerum non naturalium præſcriptâ methodo, ad propoſitum præcautionis ordinem explendum, reliquum eſt, ut prȩſervativa remedia, quibus facilè peſtilens oppugnetur miaſma, breviter referam.

Antequam autem ulteriùs deſcendam, notandum eſt cum Joanne Cratone, quod multi, qui Peſte pereunt, ſervari ſanè potuiſſent, ſi opportuna remedia maturè, & quoties opus eſt, uſurpaſſent. Verum tamen eſt, quod ſicuti cum Geſnero nullum contrà Peſtem certum datur præſidium, ob diverſas ejuſdem cauſas, hinc varia pariter remediorũ genera neceſſaria ſunt, ea enim quæ in unâ proficua fuerunt, in alterâ inutilia nonnulli obſervarunt; Cur autem pauci in peſte convaleſcunt, id ut

Cur multi qui Peſte pereunt ſervari potuiſſent.

plurimum fit, vel quia venenum citiùs quàm opinamur, Cor penetrat, fontemque vitæ abſumit, vel quia in Peſtis primordiis, vera licèt Peſtis corripiat, alii tamen morbi ſub nomine, ſæpè accuſatur, & mentitur, unde idoneis omiſſis Alexipharmacis, prævidendi non tantùm præceps occaſio fluit, ſed major venenatæ cauſæ intentio adaugetur. Citò igitur ad Medicum præſervationis gratiâ confugiendum eſt, neque vel præſens, vel proximum expectandum excidium. Quare mirabiliter Sennertus *in l.4. de febr. c.6. p.m.817.* ait, *exiſtimo, tot homines Peſte interire, quòd plærique tardius Alexi-pharmaca uſurpant, multoſque poſſe ſervari, ſi ea citius, & antequam Venenum humores corrumpere incipit, aſſumerent.*

Tria autem in cujuslibet remedii uſu ſpectanda ſunt.

Quid in remediis obſervandum ſit.

Primò. Ut vel graſſantis, vel proximæ Peſtis cauſa num coagulans ſit, num diſſolvens obſervetur, ut idoneis Alexi-pharmacis reſiſti poſſit. Coaguli verò, vel diſſolutionis ſigna cum de curatione

tione in genere ſpeciatim inferiùs diſſeram, luculenter innoteſcent; Ea enim repetere, & nimis ingratum eſſet, & fruſtraneum.

Secundò. In præſervatione & curatione hoc maximè perpendendum eſt, ut non nova, ſed lungo uſu comprobata remedia adhibeantur, & in præſervatione pręcipuè à proximioribus Regionibus, quibus Peſtis graſſata eſt, ſunt deſumēda, dum ut plurimùm cùm ab una in alteram partem peſtis transfertur, eamdem cauſarum eſſentiam, & naturam conſervat, unde ea quæ aliis proficua magis fuere, eligenda erunt non alia, juxtá illud Taciti monitum in primo cap. jam propoſitum, quod Sapientis eſt ab alterius vitio ſuum emendare.

Tertiò. Denique monendum eſt, quod in uno tantum remedio pro præſeveratione ſiſtendum ſemper non eſt, ſed ſæpè commutandum, ne uni ſolum aſſueta natura parum auxilii ab eodem percipiat, nam quod ab uno haberi nequit emolumentum, ab al-

tero ſæpè obtinebitur, tùm quia prout occulta ejuſdem cauſa eſſe ſolet, hinc variis utendum, tùm remediis, tùm Alexi-pharmacis, ut ab uno tandem ejus efficacia, ac venenata qualitas vel oppugnetur, vel removeatur.

Remedia igitur, quæ in hac præſervationis methodo præſcribere cenſeo non aliundè eruenda ſunt, niſi à conſuetis Medicinæ fontibus, Chirurgico ſcilicet, & Pharmaceutico, dum quidquid ad Diæteticum ſpectat, cùm de ſex rebus non naturalibus egi, ſatis ſuperque explicui. Hæc autem clarioris intellectionis gratiâ dupliciter ſubdividam; alia nempè quibus interiùs utendum eſt, alia quę exteriùs adhibenda occurrent; poſtquam enim tota curationis, & prępervationis ſecuritas in ſolo DEO repoſita fuerit, Medica non negligenda ſunt pręſidia, dum hęc à clementiſſimâ ejuſdem indole Medicis propoſita ſunt, & inſtituta.

Ad interna igitur eligenda pręſidia devenio, eaque nonniſi juxtà Galeni præcepta pręſcribenda decerno, quare

ſpectandũ in primis eſt quod *in cl.2. l.1. de diff. febr. cap.4. pag. mihi* 31. ad rectiſſimum Medici regimen mirabiliter ait, *una ſcilicet, ac prima eſt in omnibus communis intentio, quod Corpus quàm maximè ſuperfluitatibus vacet, atque optimè ſpiret; ſecundo loco poſt hoc, ut prępotenti cauſæ quoad fieri poteſt adverſetur*, ex quo eruditiſſimo textu, tamquam ex perenni, ac tutiſſimo indicationum fonte tria in remediorum propoſitione deducenda arbitror, atque in his tribus totum præſervativum non tantum, ſed curativum inniti Cardinem cenſeo.

Primò. Igitur Medico pręcavendum eſt, ut corpora omnibus excrementitiis humoribus, & cruditatibus immunia ſint. *Indicationes præſervationis.*

Secundò. Ut liberè illa ſpirent, cutis ſcilicet, ac porrorum obſtructionem omnem, & conſtipationem evitando.

Tertiò. Ut ex diametro juxtà Hippocratis conſilium, contrario remediorum genere, cauſæ contrarietas oppugnetur, quod adeo neceſſarium ab

eodem Galeno opinatur, ut in alio textu eodem citato loco Hippocratis exemplum referendo, hiſce verbis confirmet, *quòd cum nos prævidiſſemus ſtatim ab initio quæcumque corpora humida videbamus, omni viâ exſiccare conabamur, quæ verò ſicciora, in his antiquum habitum conſervabamus, at in quibus ſuperfluitates redundabant, hæc purgationibus ſanabamus, obſtructiones autem foraminum, aperire atque abſtergere ſtudebamus.* Cùm autem excedens humorum redundantia non alibi, quàm extra, vel intra venas conſtituatur, ac per conſequens vel cachochima ſit, vel plethorica, vel utraque, hinc non aliter, quàm vel Pharmaceutico, vel Chirurgico, vel utroque præſidio imminuenda.

A quo autem initium ſumendum ſit, quamvis ſingulis ſatis pateat quod urgentiori ſemper eſt occurrendum, Arabum tamen Principis auctoritas regularem methodum inſtituendam, eruditiſſimo laconiſmo in *tom.2. lib.4. fen.1. tract.*, & *cap.4. pag. mihi* 68. hiſce

verbis

verbis præſcribit, *ſumma curationis eorum eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomiá, & ſolutione ventris, & oppor-tet, ut incipiatur in ea ad evacuandum; ſin autem materia vincens fuerit ſanguinea, fiat phlebotomia, ſi fuerint humores alii, evacuentur*, qui textus quamvis curationem potiùs quàm præſeverationem reſpiciat, idem tamen ſemper admonet, nec in præſervatione negligendum illud eſt, quod in curatione opportunum arbitratur juxtà illud Hippocratis, *eadem ſunt curationis, ac præſervationis remedia.*

Verùm id ſanè præterire nequeo, quòd tam à Gal. unà cum Hipp., & Avicennâ corporum exſiccatio, non aliam ob rationem quàm maximè collaudetur, quod cùm Peſtis ſummam ferè humiditatem ſequatur, hinc iſta exſiccantibus priùs corrigenda, unde mirabiliter monet Avicen. talem exſiccationem Phlebotomiâ, & Ventris ſolutione obtinendam; Quoniam autem ſuadente Sennerto, & ut ſuperiùs monui, medicamenta longo ſolo uſu pro- *Cur laudetur corporum exſiccatio.* *Quænã eligenda ſint remedia.*

bata, non autem noviter inventa ſunt præſcribenda, ità ad magis ſpecifica, & tantæ præſervationi idonea accedam.

Hinc inter omnia purgantium genera unà cum ſingulorum Veterum, Recentiorum, & antiquiſſimæ Experientiæ auctoritate præferendæ ſunt pilulæ Ruffi ab aliis *de tribus* dictæ, quæ non minùs ac aliȩ per hoc etiam cōmendandæ ſunt, quia Pilulæ majorem exſiccandi vim habent, quàm liquida purgantia.

Pilulæ Ruffi.

℞. *Aloes Hepat. drac. iij., Mirrhæ drac. ij. Croci drac. j. cùm ſ. q. Syrup. acetoſ. vel Meliſs. f. Pil. de quibus cap. ſcrup. ij., vel drac. j. bis, vel ter in hebdomada h. j. antè cibum, & cont.*

Tales autem Pilulæ, ideò ratione contentorum pro Peſte præſervandâ efficaces opinantur, quia *Aloes* Ventriculum roborat, & Inteſtina à vitioſis humoribus leniter liberat, ut inter plurimos ex Horſtio *par.* 1. *inſtit. Pharmaceut. lib.* 1. *cap.* 6., *pag.* 4. innoteſcit; *Mirrha* verò Corpus à putredine, &

cor-

corruptione præſervat, & *Crocus* Cor roborat ac ſpiritus vegetiores efficit, ut dictus Auctor *part. 1. de remed. lib.6. cap.41. pag. m.* 121. profitetur, undè Avicen. ait, *Crocus ſpiritus vivificat, dilatat, & ſolidat.* Quarè non mirum ſi referente pręſtantiſſimo Alſari-croci *in pag.*40. Paulus ità aſſerat, *Ruffum fuiſſe teſtatum, ſe neminem cognoviſſe qui hoc adhibito pharmaco, à Peſte non eſſet immunis.* Ob talem Mirrhæ, Croci, & Aloes efficaciam, quàm maximè proficuus quotidiè erit uſus *Exlixir. propr. Paracel. a. gutt. viij. ad x.* exhibiti, in quo eorumdem energia in majori copiâ intrò aſſumitur.

Præter dictas Ruffi Pilulas, non mediocris emolumenti à ſingulis comprobantur alia pilularum genera, à Cratone, & Quercetano præſcripta.

Pilulæ Cratonis.

℞. *Aloes roſat unc.j. Mirrhæ, Croci a unc. ſs., Agar. trociſch. dr.ij., Rhab. ell. dr.j., Bol. Armen. Orient. ſcrup. ij., ligni Aloes, Dictam. albi, Marg. prep. an. ſcrup. j. cum ſucco Limon. f. maſſa*

pilul.

pilul., de qua cap. dr.j. pro doſ. bis in hebdomadâ.

Pilulæ Quercetani

℞. *Croci, Mirrhæ, Camph., C.C. Spod. a dr.j., ligni Aloes dr.ij., terræ ſigil, & flor. Sulph. an. drac.j., cort., & ſem. Citri, Cariopb. a. ſcrup.j. Succini flavi ſcrup.ij., Agar. ell., & Rhab. opt. a.unc.ſs. Aloes lotæ in ſucco Roſar. ad pondus omnium, f. maſſa pilul., de qua cap. dr.ſem. antè cibum. Veſp. de 3. in 3.*

Quibus autem ob Temperamentum nimis caidum, ſicuti & gravidis, aut quibus hęmorroides fluunt, ob Aloes Venarum orificia aperiens, aliâvè de causâ prędictę Pilulę non conveniunt, ſubſtitui poterit *Syrupus Roſ. Aur.*, vel ex *flor. Perſic.* aut *agaricum* ſi pituitoſus ſit Æger, *Rhabarbarum* ſi bilioſus, aut imbeciliora ſint viſcera; ſinguli tamen monendi ſunt, quod ab omni validiori, & electivo purgantium genere abſtinendum eſt, ne Spiritus nimis enerventur, humores agitentur, ac nimio impetu ad Vētrem confluant,

atque

atque Diarrhęas, in omni peſtilentiali conſtitutione peſſimas, producat.

Alii quàm plurima, imò ferè innumera purgantium genera referunt, quę hic recenſere nimis prolixum foret, & pręcipuè Pilulas, quę variis modis confici ſolent, ut perlegi poterit apud Lemerij, & Donzelli in ſuo *tract. Pharmaceut. part.* 3. *pag.* 614., necnon Sennertum *tom.* 1. *circa finem in ſuo Faſcicul. medicament. contrà Peſtem pagina* 849.

Quoniam autem tota præſervationis methodus, non in ſolis purgantibus nititur, ſed quàm maximè Alexi-pharmacis perficienda eſt, dum quæ Peſtem curant, ab eadem præſervant, ideò Alexi-pharmacorum genera, innumera penè dixerim apud citatos Auctores, alioſque quamplurimos, & præcipuè Diemerbroeck, & Foreſtum, invenies; ſed nè eorumdem Sylvam, & Catalogum ab ipſis decerpere, ac in integrum hìc referre videar, nonnulla tantum, ſed pręcipua & ſelectiora, longoque uſu comprobata, pręſcribam.

Pri-

Pulveres. Primum locum obtinet ſequens pulvis à Gemma, & Cratone valdè commendatus.

℞. *Mirrhæ ell., Bol. Armen., terræ ſigil., ligni Aloes a. unc. ſs. Croci., Carioph., Maciſ. acet. pręp. a. dr. ij., m. f. pulv., de quo cap. dr ſem., ſing. manè cum Vino, vel aqu. Ther., vel ex toto Citro.*

Alius ex Monardo. Monardus alium inſtituit.

℞. *Bol. Armen. orient., ſem. Citr., Scord., Dictam., Marg. pręp. a. dr. ij. Oſſis de corde Cervi dr. j., lap. Bezoar. dr. ſem., m. f. pulv. de quo cap. dr. ſs. cum jure carn. ſing. manè.*

Alius ex Foreſto. Celebris etiam eſt pulvis antipeſtilent. Foreſti, ab eodem *in lib. 6. de febr. cùm morbo epid. obſerv. 16. pag. 175.*, tamquam pro ſecretó deſcriptus.

℞. *Rad. Dictam., Tormentil., Zedoar., Bol. Armen. in Aceto loti a. unc. ſs. rad. Gentian.,* Pethaſit. *a. dr. ij., terræ ſigil. dr. iij., raſùr. Santal. rubr., raſ. Ebor., cort. Citri,* Corall. *rubr. pręp., oſſis de corde Cervi. a. ſcr. ij., Marg. pręp. dr. j., Succin. ſcrup. j., f. pulv.*

pulv. ſubtilis, de quo cap. ſcr. ij. ad dr. j. cûm aqua ex toto Citro, & cont. ſing. manè.

Eminentiſſimus Gaſtaldi in prima Parte jam citatus, ſummoperè proficuas ſeq. Tabellas in Peſte anni 1656. Romæ extitiſſe, fatetur. *Tabellæ.*

℞. *Confec. Hyacint. dr. j. Bol. armen., rad. Carlin., Marg. prep., & ſuccin. a. dr. ſs., cum ſ. q. ſacc. finis in aqu. Card. Bened., vel Scorz. diſſolut. f. rotulæ, de quibus cap. dr. ſs. antè cęnam, vel ante ſomnum.*

Pro Pauperibus commendatur hoc Electuarium. *Electuarium pro Pauperibus.*

℞. *Granor. Junip. unc. vj., nucleor. Nuc. Iugland. unc. iiij., pulv. rad. Zedoar., Torment., Gentian., Angel., & Carl.*, (quæ ab Angelo, Carolo Magno pro Exercitus à Peſte curatione indicata fuit) *a. unc. j., Ther., & Mitrid. opt. a. unc. ij., cum ſyrup. de Limon. f. Elec., de quo cap. dr. j. ſing. manè, jejuno Ventriculo.*

Confici pariter poterit pro Pauperibus ſequens Theriaca.

℞,

Aliud pro eiſdem. ℞. *Herbar. ſiccat. Veron., Scord., Card. Benedic. a. unc.ij., rad. Helen, Zedoar., Tormentil., Carlin., Valer.. Angel., Scorzon. a unc.j. opt. pulveriſ., indè add. unc.vj. extr. Iunip., miſceantur cum lib.iiij., mel. opt. deſpum., ſ. a. reducantur ad formam Elect., quo refrig. adde flor. Sulph., & Mirrhæ ell. a. unc.j. ſpir. Vitriol. dr.j. miſc. opt. ſimul & cap. a ſcrup.j. ad dr.j. ſing. manè jejuno Ventriculo.*

Ex Ficin. Marſilius Ficin. innumeros Pauperes à Peſte præſervaſſe teſtatur, ſolâ decoc. *rad. Ipericon, Enulæ., Dictam., Ariſtoloch., & Raph. ſilv.*, aut in pulv. redactę ad dr.j. cum Vino aſſump., vel quotidianus uſus *Abſynt.*, *& Rutæ capr.* in juſculo, vel aceto ebull. maximè commendatur.

Aliud antidotum pro Pauperibus. Non mediocris pariter momenti eſt Antidotus, licèt vulgaris, faciliſq; elaborationis, & Pauperibus aptiſſima, à Pōpeo Magno inter Mitridatis Ponti Regis ſecreta, manu propriâ deſcripta, & inventa, ut teſtatur Apolonius, & à Gal. *claſſ.5. lib.2. de antidotis cap.8.*

pag.

pag.'m. 157. comprobata, ſequ. forma paranda.

℞. *Nucum jugland., & Ficuum a. n.ij., fol. Rutæ xx., contundantur opt. & cum grano ſalis, miſceantur cum generoſo Vino, cap. quotidiè ſingul. manè jejuno Ventriculo.*

Non contemnendum eſt tale Alexifar. quia vel nimis commune, vel quia nil recunditi, aut peregrini in ſe contineat, ſufficit enim ut experientiâ ſit comprobatum teſte Foreſto, cujus uſu plurimos à Peſte ſervaſſe fatetur, quamvis ad majorem guſtus ſuavitatem ſyrupum *de agred.Citri* loco Vini exhibeat. Gal. autem præter *cit. loc.* laudat ejus uſum in *claſſ.*4. *lib.*2. *de alim. facult. cap.*28. *de Nucibus*, *pag. m.* 23., & de hiſce confirmat, Avicenn. *tom.*2. *lib.*4. *fen.*6. *tract.*1. *cap.*9. *pag. m.*196., quare nil mirum ſi Dioſcor. *lib.*3. *cap.*43., *de Rutá*, *pag. m.* 221. ità mirabiliter diſſerat. *Præmanſa priùs folia Rutæ per ſe, & cum Nucibus jugland. & Ficubus ſiccis, inefficacia venena reddunt*, undè Vincentus Alſari-croci. *pag. mibi*

558.

558. ait, *Nux eſt cum Ficubus, & Rutâ medicina omnibus venenis*, quare peſtilenti facilè reſiſtet miaſmati, ſi contrà venena adeò efficax eſt, ut eorumdem oppugnet malitiam.

Aqua Theriacalis. Præter pulveres datur ſequens aqua Theriacalis.

℞. *Rad. Pethaſit., Angelicæ, Carlin., Valerianæ a. unc. iij., herb. Scord., Abſcynth., Card. bened. a. m. iij. flor. Roſ., Sthec. a. p. iiij., baccar. Iunip. unc. ij., Cinam. integri unc. ſs., fol. Rutæ, Roriſmar. a m. j. omnia groſſo modo contuſa inf., per h.40. in lib.20. aqu. com. vaſe benè clauſo, bull. ad 4., factâ inde colat., & forti expreſſ. in torculari, add. ſuccor. Scord., Rutæ capr., Limon., acetoſ. a. lib. ij., Ther. venet. lib. j. deſtil. per B. M., de qua cap. unc. j. ſingulo manè.*

Mindererus præſervativum Vinum eximiis laudibus celebrat ſequenti formâ parandum.

Vinum medicatum. ℞. *Abſynth. vulg., Card. benedic., Pethaſit., Rutæ caprar, Centau. min. a. m. ij. Dictam. Cret. man. j. cort. & ſem-*

ſem. Citri a. unc. ſs. rad. Pinpin., Ariſtol. rotund., & Tormentil. a. unc. j., ſcindantur groſſo modo, & in ſacculo ſuſpendantur in dolio Vini, de quo cap. unc. vj. ſingulo manè ieiuno Ventriculo.

At quid ulteriùs in præſervativis præſcribendis immoror, ſi optimum in Theriacâ, & Mitridatio habemus, quę ſingulis aliis à Paræo præferuntur. Theriaca enim ab omnibus celebratur, quare Svetonius Agrippinam Neronis Matrem, veneno Filii juſſu ter aſſumpto, ſolo Theriacæ uſu, præſervatam fuiſſe, teſtatur; & inter reliquos illam ſatis commendat Gal. pluribus in locis, & præcipuè in *lib. de Ther. ad Piſ. cap.* 14. *pag. jam pluries citatâ* 168. ubi ait, *idem ego de Theriacâ cenſeo, quæ velut ignis quidam purgans nullo modo ſinit, ut qui eam in peſtilenti ſtatu priùs biberint, lue corripiantur, eos verò qui iam infecti ſunt curare queat*; & in lib. *de uſu Ther. ad Pamph. pag. m.* 170. aſſerit, *Cùm olim Italiam peſtilentia corripuiſſet, multique Mortales ſubitá vi morbi interirent, nec quid-*

Theriaca celegia.

quam Medicinæ proficerent, ſe Homines monuerunt, ut ſolâ Theriacâ uterentur, atque ex his, qui morbo jam correpti erant, quidam ſervati ſunt, quidam perierunt, & hi omnes, qui priuſquam in morbum incidiſſent eam hauſerunt, iidem non modò vitaverunt periculum, ſed etiam ne morbum quidem ſenſerunt, & ratio ab eodem ad *Piſon. citata pag.* petenda eſt, ubi ait, *hæc enim veluti bonam temperaturam quamdam, ſalubremque ſtatum Corporibus affert, quippè quæ ſupervacaneos humores conſumat, partibuſque refrigeratis calorem revocat, ac virtutem naturalem confirmat, ut naturales actiones rectè conficiat*; & alibi clariùs fatetur, *in peſtilenti ſtatu hæc ſola Antidotus peſte correptis auxiliari poſſe viſa eſt, cùm nullum aliud remedium adverſus tantam vim mali reſiſtere queat*; Et inter quamplurimos teſtatur etiam Mercurialis *in lib.* 6. *de febr. pag. mihi* 644. nec non Aetius, (ut conſtat in libr. Græcorum Med. Princip.) *cap.*96. *pag. m.* 652. *de uſu*

Ther.

Ther. dicens, *cognita eſt præterea nobis Antidotus, ut quæ in peſtilentibus conſtitutionibus peſte apprehenſis unicè auxiliari poteſt, eos verò qui eam præbiberint peſtilenti affectione appræhendi prohibet; ipſa enim velut temperamentum, & ſanam conſtitutionem* Corporibus *inducit*, quod confirmat etiam in eodem libro Actuarius *cap.* 6. de Antidotis *p. m.* 262,, ità Nicol. Myrepſus *cap.* 232. *pag. mihi.* 410., & innumeri alii.

Idem penè dicendum erit de Mitridatio, non tantùm per hoc quod de Mitridate Rege ab omnibus traditur, ſed ob ejuſdem contenta, undè per ipſum, ſi Recentiori non minùs ac eximio Scriptori fidendum eſt, à Contagioſâ Epidemicâ lue Exercitum ſuum Carolus Quintus præſervavit. *Mitridatii encomia*

Etmulerus hiſce duobus, *Diaſcordium* addit. Intermittendus igitur eorum uſus non eſt, & præcipuè *Theriacæ* jam vetuſtæ, aut ſaltem mediæ ætatis, quæ æſtivis ardoribus unà cum Conſervis *Roſ.*, *Viol.*, aut *Borag.* im-

miſci poterit add. præcipuè *bolo Armen.* aut *pul. Contrabier.*, quorum mirabilis vis, ubi de curativa methodo diſſeram, enarrabitur.

Alius pulvis pro Pueris. Verùm quoniam Pueris prolixus vel *Theriacæ*, vel *Mitridatii*, aliorumvè præſcriptorum uſus, prout nimis excalefaciens, ſuſpectus à quàm plurimis cenſetur, hinc eiſdem ſupplere poterit ſequens pulvis.

℞. *Pul. Rad. Tormentil.*, *C.C. uſti a.unc.ſs. Bol. Arm.Orient.*, *terræ ſigil. a. dr.ij.*, *Corallor. rubr. prep. dr.j. & ſs. Marg.præp. dr.j.*, *ſem.Sant. dr.ij.*, *Aloes dr.ſs.*, *cum ſ. q. ſacc. finis. f. rotulæ*, *de quibus cap. dr. ij. pro doſ.*

Cautela in æſtate. Hæc cautela pariter Juvenibus, & æſtivo tempore non contemnenda eſt, dum omnia tunc calidiora Medicamenta, ut *Ther. Mitridat.*, *rad. Angel. Valer.*, *Zedoar.*, *Rutæ*, *Salv.*; *&c.* nec non *pulvis liberans*, ſi nimis abutantur, ineunte poſteà Autumno, graves Tertianas, Quartanas, alioſque ſæpè periculoſos morbos, ob nimiam impreſſam exſiccationem inducere poſſunt.

ſunt.

ſunt; Quare æſtivis ſaltem caloribus, & aduſtis temperamentis ſequenti potiùs pulvere erit utendum.

℞. C. C. *uſti, oculor. Cancr. præp. dr. ij., raſ. ebor. ſcrup. ij., lap. Bezoar. orient. ſcrup. j., ſem. Citri, Acet. a. dr. j., Santal. omn. dr. ſs., Macis ſic. dr. j. m. f. pulv., de quo cap. dr. ſs. pro doſi.*

Hiſce *Electuarium Angriſani* dictum, nec non Antidotum *P. Chircheri ex aceto, Rutâ, Pimp., bac. Iunip.* confectum, & utrumque Romæ in Peſte anni 1656. valdè proficuum, nè brevitatis ordinem excedam, ſupperaddere omitto, cùm enim à ſolis Medicis, talia Alexi-pharmacorum genera præſcribenda ſint, hinc eorumdem deſcriptione, Minervam inſtruere nolo, tùm quia eiſdem nil ignotum eſt, tùm quia apud Præſtantiſſimum Muratori, Alſa-ri-croci, Diemerbroek, Doleum, Sennertum, Maſſariam, alioſque ferè innumeros ubertiſſimam remediorum ſylvam invenient, dum ſingula à Priſcis, ac Recentioribus deſcripta, hic recenſere, inane ſanè foret, & ridiculum.

CAP.

CAPUT VI.

De externis Remediis in præſervatione neceſſariis.

Externorum Remediorum efficacia.

AB internis, ad externa Pharmaceutica, neque minoris momenti pręſidia, breviter deſcendo, quibus Principes noſtræ Machinæ partes, ut venenatę, ac peſtilenti cauſę reſiſtant, vegetiores efficiantur: Externorum enim Remediorum efficacia ob eorumdem inſitam vim, non minùs ac per inſpirationem, & odoratum, per cutaneæ noſtræ retis meatus, ac poroſitates ad intus propagatur, unde internis unita præſidiis, majorem peſtilens oppugnandi miaſma activitatem adauget; Quarè Hipp. *lib.*6. *ſect.*6. *text.*1. *pag. mihi* 1190. ait, *Carnes & ex Ventre, & extrinſecus attrahunt, indicat autem ſenſus ipſe, Corpus totum tam foras, quàm intus ſpirabile eſſe.* Antequam autem ulteriùs progrediar, ut non tan-

tum Medici, ſed Catholici munus adimpleam, monendum cenſeo, quod Externa inter præſidia, ea ſanè adhibenda non ſunt, quæ peſtilentibus prę-cipuè temporibus, tùm ab Aſtrologis, cùm à vanâ Iſtrionum Turbâ, Annulorum, Iconum, Numerorum, Verborum, aliorumvè ſignorum ſub nomine, tamquam infallibilia præſcribuntur, cùm mihi ſatis notum ſit, non minùs in Deum iniquum fore, ac in Homines ridiculum, in tantâ morbi magnitudine, pernicie, ac vitæ diſcrimine, eiſdem confidere; Remedia igitur, quibus utendum erit, non vana, neque fallacis experientiæ fuco mentita eligenda ſunt, ſed ea quæ Veterum, ac Recentiorum auctoritas, aliiſque in peſtilentiis tutiſſimus uſus comprobavit.

Cur fidendum nõ ſit in Amuletis ex venenatis animã-

De antiquorum Amuletis, ſacculiſque, vel Collo appenſis, vel ſuprà Cor geſtis, ex *Mercurio*, *ſublimato*, *Buffonibus*, *Araneis*, aliiſque *venenatis animantibus* confectis, ut apud Germanos mos eſt, neque diſſero, quamvis enim nonnulli eorumdem utilitatem com-

tibus aut Mercurio paratis.

mendent, cùm dubium maximè ſit, an è tali externo potiùs Remedio, quàm ab internis Alexi-pharmacis, Peſtis pręſervatio ſuboriatur, hinc iiſdem omnimodè fidendum non reor, cùm è contra talia Remediorum genera, ſæpè malè præparata ſint, hinc detrimentum potiùs ab ipſis timendum erit, quàm expectanda ſecuritas: Infauſta enim non deſunt exempla, quòd ab extrinſecis malè præparatis Remediis, ac venenatâ eorumdem qualitate, medio ſudore introductâ, ab ipſâ Alexipharmaci ſpe, venenati quàm plures interierunt. Et ratio ab ipſo Galeno optimè eruenda eſt, docet enim quod externorum præſidiorum defluxus ſimilis ſubſtantiæ ſunt, à qua deffluunt, ac evaporant, undè ſi venenatum illud eſt, venenata pariter ejuſdem erit qualitas; fidendum autem eiſdem per hoc etiam non eſt, quod ex prædictis veneno ſis animantibus erumpentia effluvia, & ad internas partes propagata, nullam peſtilenti Aereo reſiſtendi miaſmati proprietatem habent, & ſi quid

Alexi-

Alexi-pharmaci eiſdem ineſt, id pro analogis reparandis venenis continebunt.

Externa per hoc tamen præſidia non renuo, ſed ea tantum præligenda, quę vitales Cordis Spiritus vegetiores efficiant, aut quid ſpecificum contra Aereum venenum imprimere valeant; inter hæc primum obtinet locum, Arſenicum Criſtalinum, quod lamellæ ſub forma, ſerico in ſacculo Collo alligatum, & ſuprà Cor poſitum, infectis ſublevamen, ſanis autem præſervationem producere poſſe, ac in peſtibus proficuum extitiſſe, inter quamplurimos teſtantur Jacobus de Carpi, Faloppius, Ingraſſia Archiater Palermitanus, Bucci Pedemontanus, & reliqui, imò ejuſdem uſu, Adrianum VI. P. M. à peſtilenti Contagio præſervatum fuiſſe nonnulli fatentur Hiſtorici; ejuſdem autem forma ab ipſo Bucci in *Cap. xj. tract. de Peſte*, juxtà prædicti Jacobi de Carpi expoſitionem tali modo deſcribitur, ſcilicet quod ſit rotula ex duabus Arſenici Criſtallini partibus,

Arſenicum criſtalinum Collo alligatum.

&

& una ex Arſenico rubeo, quæ pulveriſata, & cum albumine ovi, vel Mucilag. gum. tragag. in rotulam digiti magnitudinis convertitur, & Thoracis verſus ſiniſtram partem geſtari ſolet; huiuſce rotulę beneficia plurimis auctoritatibus comprobat, nec non de fruſtulo Sublimati eodem modo Collo alligato, uti præter Buci, à Joanne Domenico Porcelli, & Monardo Hiſpanicis Medicis celeberrimis confirmatur. Præter Arſenicum nonnulli ſunt, qui Hydrargyrum in Avellanâ nuce repoſitum, & Collo appenſum, pro peſtis præſervativo referunt, & inter quamplures antiquiores Schenchius *in lib.6. obſerv. Medic. de Peſte pag.882.* poſtquam Hidrargyrum contra Sagarum, aliaſque maleficorum inſidias proficuum expoſuerit, in Peſte quæ ſub Henrico Secundo Galliarum Rege Germaniam petente, in Metenſis Civitatis obſidione ſæviebat, & Medicis, & Chirurgis maximum præſervativum fuiſſe teſtatur, & ait, *ſi ex Avellanâ perforatâ, interior Nucleus cùm*

Ità & ſublimatum.

acicula extrahatur, deindè Argento vivo repleatur, & ſuſpendatur Collo, mirum in modum nos tutos à peſte reddet.

Verùm quia Arſenici ac Sublimati uſus nonnullis inimicus eſt, dum ſæpè fatalis, ut ab eodem diſſentire videntur Hercules Saxonia, Joan. Bapt. Gemma, Horatius Augenius, nec non Hieronymus Capivacius, qui in Peſte Patavina anni 1376. nihil præſtitiſſe, imò nonnullis nocuiſſe fatetur, ut teſtatur pariter Zacut. *lib. 2. de Med. Princ.* Hiſt. *qu.48. pag. m.* 339. dicens, *Bonâ tamen fide teſtari poſſum, me anno* 1600. *in vaſtâ illâ peſtilentiâ plurimos vidiſſe peſte correptos, imò alios repentè velut fulmine ictos, & mortuos, non ſine livore in regione Cordis, in quorum parte levá, juxtà Cor ſacculus plenus Arſenico diù fuit geſtatus*, hinc alia Sacculorum genera ex odoroſis herbis, ac radicibus confecta, neque minoris emolumenti, & experientiæ, ſubſtitui poterunt, ac inter hæc primum locum obtinebit, quod ab eximio *Sacculi ex herbis odoroſis Collo alligandi.*

Mura-

Muratori de Peſte Scriptori ſanè Celeberrimo, ſequenti formâ præſcribitur.

℞. *Pulveris rad. Angel., Zedoar., Helen., Dict. a. dr. ſs. Caſtor. ſcrup. j. Camph., & Croci an. ſcr. ſs., Thur. dr. ſs., Ther. opt. dr. ij., ol. Ambr. gutt. iiij., ol. Junip. gut. ij., cum ſ. q. Mucilag. tragagant. f. maſſa, quæ in Sacculo ſerico, collo pendens ſuprà Cordis regionem geratur.*

Præter hanc, laudabilis eſt illa Sacculorum præſcriptio, quę in Peſte 1630. tam proficua Mediolani extitit, ut iijdemmet, qui infectis inſerviebant, ejus ſolo beneficio immunes ſervati fuerunt. En conſueta ejuſdem forma.

℞. *Thur. alb., & Sulph. an. unc. vi., Arſen. Criſtal. unc. i., baccar. Lauri, Caryoph. integr. an. n. x., rad. Angel., Dictam., & Zedoar. an. dr. i., fol. Pæon., Raph., Centau., Ment. an. man. i., cort. Auranc. dr. iii., Nuc. muſc. n. i., Mirrh., Maſtic. a. gr. v. fol. Rutæ unc. ſs., ſingula contundantur, & pulveriſentur, ac in ſacculo ſerico benè ligato, ſuprà Cor applicentur.*

Præter

Præter huc uſque dicta, contemnenda non eſt alia ſacculi forma non minùs efficax taliter paranda.

℞. *Flor. Buglóſ., Roſar. rubr., & Viol. a. pug.ii., Roriſmar. Meliſſ. an. p.i. Cinam., Caryoph., cort. Citri, ligni Aloes, Santal. Citrin., rad. Ireos florent., Valerian., Angel. an. dr.i.ſs., ſem. Rutæ, oſſis de Corde Cervi an. ſcrup.i., Camph., Croci an. ſcrup. ſs., Ambr., Moſci an. gr.iiii. m. reducantur omnia in pulv., & in ſindone rubr. recepta ſ. a. f. ſacculus ferendus ſuprà Cor.*

Hoc autem ſpecificis pariter linimentis muniendum eſt, ac præcipuè *ol. Scorp. Math.* ſummè proficuo, ſicuti & ſequenti à prædicto Diemerbroeck celebrato. *Cordis, & Narium linimentum.*

℞. *Ther. ell. dr.i., Camph. gr.x., ol. Nucis muſc., de Scorp. an. ſcrup.ii., ol. Cinamon., & Caryoph. a. gut.ii., ol. Succin., Rutæ an. ſcrup.ſs. ol. cort. Citri gut.vi., m. opt. ſimul & ſingulo manè liniantur nares, aures, tempora, & Cor.*

Cùm

Cùm enim mediis naribus, & ore, Aer attrahatur, hinc quàm maximè ut peſtilens corrigatur inſpiratio, linimentis, aliiſq;odoroſis,vel pomis,vel nodulis inferiùs deſcribendis utendum erit, quare Monardus Ferrarenſis Doct. in *lib.*5. *Epiſt.*3 mirificè ait, *Verùm & Cives in Urbe degentes ità jubentibus Medicis, unguento maximè odorato nares, & aures implebant, ſuffimitibuſq; & aromatibus utebantur, cùm quidam aſſeverarent bonum illum odorem præoccupantem, implentemque meatus ſenſuum, probibere, ne reciperetur tabes Aeris, vel ſi quid etiam confluxiſſet, priùs, majori vi profligari.*

Supplere pariter poterit uſus *ol. Viperar.* Magn. Duc. Ætrur, nec non ſequ. linim.

℞. *Mitridat. opt. & Ther. Venet. an. dr. i., Mirrbæ, Benz., Styrac. Calam. a. drac. ſs., Santal. Citrin., cort. Citri, Caryoph. an. ſcr. i., Camph. ſcr. ſs. aquæ roſar, & aceti an. q. ſ. ut reducantur ad formam linim.*

Conveniet etiam *ol. Succini, Nucis*

muſc.,

muſc., *Caryoph.*, *vel aqu. Bezoart.* in Spongia adhibita, vel *ol. Rutę*, aut *ol. ex Corn. Cerv. cum Aceto roſat.* mixtum, ex quibus liniri poſſunt Tempora, & Cor, ut in inſenſiſſimâ peſte ſub Tito, & Veſpaſiano ſæviente, multi præſervati fuerunt, ſic referēte Præſtantiſſimo Alſari-croci, qui vult Cervum totâ ſui naturâ omni venenorum generi contrarium eſſe.

Pro Pauperibus verò Acetum, ſivè intrò, ſivè extrò adhibitum, aut ſolum, aut cum Alexiteriis pręſidiis immixtum, tam pro Peſtis pręſervatione, quàm pro ejuſdem curatione optimum eſſe ſinguli conſentiunt, imò efficaciſſimum celebrant; Parciùs tamen illo utendum erit, quibus ſicco cerebro conſtituti ſunt, aut qui vigiliis obnoxij experiuntur. *Acetum optimū eſt.*

Pro linimētis autem, ſufficit Theriaca in Aceto, vel Vino generoſo diſſoluta, quę aliis ſupplere poteſt pro Pauperibus. Quòd ſi fortè magis profi cua non erit ſequenti uti poterunt. *Linimentum pro Pauperibus.*

℞. *Ung. Santal. unç. j., pulv. Pin-*

pin.,

pin., *Scord.*, *Angelicæ*, *&* *Rutę an. dr.ſs.*, *ſucci Citri dr.iii. m. f. linim.*

Cordis Epythema. Neque omittenda ſunt Epythemata Cordis, inter quę prędictus Muratori ſequens collaudat.

℞. *Aqu. roſar.*, *Bugloſ. an. unc.vi.. Vini generoſi unc.iii.*, *Aceti roſ. unc.i.*, *pulver. Angelic.*, *Mirrh.*, *Alcher. a. dr.ſs.*, Caryoph., *&* *Cinam. pulver. an. unc.ſs.*, *Ther. ell. dr.iii.*, *m. opt. ſimul & cum ſ.q. ol. Scorp. Math. f. Epyth. & ſuprà* Cor *geratur.* Prædictus Alſari-croci aliud Cordis linimentum præſcribit, ex *ol. Camph.*, *Cinam.*, *& pinguedine Gallinę in aqu. roſ. ſæpiùs lotâ* additis *gr.ii. Moſch. & Ambr.*

Poma odoroſa. Addenda ſunt inſuper hucuſq; dictis artificialia Poma à ſingulis quàm maximè celebrata, quæ manu geſtari conſueſcunt, odoratum ipſum præmuniendo, & quamvis multipliciter parari poſſint, frequentiora tamen ſequ. formâ deſcribuntur.

℞. *Laud. puriſs. dr.ii.*, *rad. Ireos dr.i.*, *pulv.* Caryoph., *Nuc. muſch.*, *Cinam. an. dr. ſs.*, *Camph. ſcr. ſs.*, *ol.*

Rutæ

Rutę deſtil. gutt. vii., ol. Caryoph. gutt. iii., ol. Nuc. muſch. expreſs. dr. ſs., Moſch., Zibet., Ambr. an. gr. vi., cum Mucilag. tragaganth. aquâ Roſar. factâ, f. maſſa, quę includatur in vaſe vel ligneo, vel argenteo perforato, ut eorumdem odores percipiantur.

In Æſtate ſequens laudatur.

℞. *Flor. ſiccat. Citri, Auranc., Nymph., Roſar. an. dr. i., cort. Mali. Citri drac. i. ſs., Santalor. dr. ſs. Ambr. odorat. gr. iiii., gummę tragagant. dr. ij. cum Aceto fiat pila, ſeù pomum ut ſuprà.*

In frigidiori verò tempore proderit ſequens.

℞. *Nucis muſch., Macis, Saſſafr., Caryoph., ligni Aloes, Styrac., Calam. an. ſcr. i., Moſch. gr. vii., Ambr. gr. iii., Laud. dr. iii., cum aqua Cinam. vel Vino aromatico f. paſta; ex qua conficiatur Pomum ut ſuprá.*

Pauperes autem uti poterunt ſpongiâ *Aceto* imbutâ, ſicuti *aquâ Lav. Menthæ, Salviæ*, quibus omnibus,

& præcipuè Aceto ſæpiùs in die Facies, & manus erunt abluendæ.

Hæc quamvis perpauca, prout tamen electiora ſunt, ſufficere mihi videntur, dum locupletiſſimæ externorum Remediorum præſcriptiones, ut in anteriori capite profeſſus ſum, apud tot jam allatos Auctores, recenſentur.

CAPUT VII.

De Præſervativis Remediis à Chirurgia deſumendis.

Sanguinis miſſio non cōvenit.

A Chirurgico fonte quamvis plurima Remediorum genera erui poſſint, ut *Venæ ſectio*, *Cucurbitulæ*, *Veſicantia*, *Cauteria*, *Settacea*, *&c.*, de eiſdem tamen in præſenti agendum non eſt, pro ut ad præſervationis methodum non ſpectant. Venæ ſcilicet ſectio, quæ in ipſamet Peſtis curatione ab univerſali Neotericorum conſenſu, & ab ipſa fatali experientiâ renuitur

(ut

(ut ſuo loco fuſiùs elucеſcet) multò minùs in præſervatione conveniet, dum Spiritus Vitęque calor per eamdem imminuendus non eſt, imò ut venenato peſtilenti miaſmati validior reſiſtat natura, per Cardiaca roborandam eſſe ſuperiùs deſcripſi; Et reverà illam etiam in præſervatione exitialem extitiſſe docet Diemerbroek in *Hiſt.*16. *pag.*369., ubi nonnullos Verno tempore præcautionis gratiâ phlebotomatos, citiùs in Peſtem incidiſſe, & brevi perijſſe deſcribit; & in Annot. *prædiEt.Hiſt.* ait, *vix nullum novi, cui non Venæ ſeEtio præſervationis gratiâ inſtituta, maximum damnum intulerit, & qui poſt tales Venæ ſeEtiones, peſte corripiebantur, multò magis periclitabantur, quàm alii.* Sin autem adſit cruoris redundantia Vegeta Juvenilis ætas, aut menſium vel Hæmorroidum ſuppreſſio, cùm phlebotomiæ conſuetudine, moderatè ſolùm, & abſque ullo virium detrimento præcautionis gratiâ extrahendus erit, ut faciliùs ab excedenti ſanguinis ſarcinâ exonerata natura fortior reſurgat.

Neque Cucurbitulæ aut veſicantia.

Cucurbitulę autem, aut veſicãtia nullum in præſervatione locum habent, his enim in Curativâ tantùm frequenter utimur, ut eorumdem medio, rebellis, lenta, ac maligna Antracum, Bubonum, & Exanthematum materia ad periferiam perfectè non demiſſa, vel extrahatur, vel à Principibus partibus revellatur, de his autem uberiùs diſſeram in ipsâ Peſtis curatione.

Cauteria ſummè proficua.

Quidquid ergò in peſtilenti præſervatione à Chirurgia deſumendum eſt, id ad Cauteria reducam, quorum utilitas Veterum non minùs, ac Recentiorum auctoritate roboratur. Et ſanè ſi ex Hip. *in l. de nat. hum.*, & ex Gal. 5 *meth. Ulcera, quę ſunt inſtar cauteriorum ſeù ſponte, ſeù arte facta, ſunt aliorum morborum medela*, tutiùs in peſtis præſervatione eiſdem utendum erit, prout eorumdem medio ab omni occulta impuritate, ac malignis nonnullis particulis, quæ à ſuſpecta ambientis qualitate intra ſanguinem induci poterunt, tota ejuſdem maſſa expoliabitur, dum teſte Horatio Augenio *in Epiſt.*, *& conſul.*

conſul. Medic. lib. 3. pag. 41. maxima Cauteriorum utilitas eſt humoris in aliquâ particulâ contenti, ac tenaciſſimè inhęrentis evacuatio, qui ſcilicet aliis remediis evelli non potuit, & Avic. in *tom. 1. lib. 1. fen. 4. doctr. 5. cap. 29. pag. m.* 223. mirificè ait, *Cauterizatio eſt medicamen valdè utile, juvans ad prohibendum, nè corruptio ſpargatur, & ad confortandum membrum, cujus complectionem volumus rectificare.*

Sin autem unà cum auctoritate, experientiæ robur exoptandum ſit, celebre Maſſarię effatum illud opinor, quod in *lib.* 7. hiſce verbis deſcribit. *Illud experientia ſatis confirmavit, quando quidem accuratâ obſervatione compertum eſt, non ſolùm apud nos, verùm etiam apud Venetos, Patavinos, & alios ex infinitis peſtilentiâ ſublatis, aut nullos, aut certè paucos obiiſſe, quibus alicubi Cauteria inuſta eſſent.* Quod pariter à Mercuriali ità confirmatur, *dicam quod ego experientiâ vidi, me innumeros hac peſte extinctos vidiſſe, nec unquam vidiſſe quemquam*

qui haberet Cauterium, *præter unum tantum*; neque omittendum erit Foreſti conſilium, dum præſervationis leges in peſtilenti conſtitutione ad Nobilem quemdam præſcribens *in lib.*6. *morb. Epid. obſer.*15.*pag.*173. unà cum experientię,& rationis auctoritate,ità inquit, *Cauteria quoque Cruribus,vel Brachiis adhibebant, ut malę ſuperfluitates quotidiè per ea expurgarentur, & multi fuerunt ita pręſervati, qui & Cadavera mortuorum ferebant, nam & illi qui ulcera antiqua habent, minùs afficiuntur.* Verùm ut reliqua Auctorum monumenta miſſa faciam, celebris eſt Auctoritas Ingraſſiæ, qui *cap.* 16. 3. *Partis tract. de Peſte Siculá*; eos ferè ſingulos perſanatos fuiſſe teſtatur, qui Cauteriis ſeſe ſubjecere, & præcipuè in annis 1557., 1558., & 1563., quod pariter in Mediolanenſi peſte comprobatum fuiſſe Buci deſcribit.

Hiſce nonnulla alia peſtiũ exempla, quibus Cauteriorum neceſſitas celebratur, addere poteram, at in hiſce fuſiùs immorari non reor, dum præter

hucuſ-

hucuſque relatas auctoritates, ſufficere mihi ſatis videtur quidquid de peſte anni 1612. refert Hyldanus, de illa Veneta 1576. Georgius Guarnerus, & de celebri Romæ anni 1656. P. Chircerus, dum ſingulos citò Cauteriis munitos à peſte immunes extitiſſe, unà cum ingenioſiſſimi Muratori auctoritate teſtantur. Notandum hìc tamen eſt, quod *citò* inurenda illa ſunt, quia in curatione inutilia æquè probantur, ac in prçſervatione efficacia; & ratio eſt, quia cùm Cauterii munus ſit, Corpus ab omni labe evacuare, ac mundum tueri, quod niſi poſt plures dies obtineri licet, id in peſtis Homines brevi interficientis curatione, ſperandum non erit, antequam enim per Cauteria quid expurgetur, illi peribunt, quare Heurnius *in lib. de peſte* mirabiliter ità ait, *Cauteria ad prçcautionem prçclarè faciunt, plurimique horum beneficio intacti, ac impunè peſti implicitos homines tractant plurima hi ſibi inurunt, ſed ad curationem Cauteria repudiamus, quia antequam ſuum beneficium edant,*

Cauteria citò ſunt inurenda.

edant, *quod fit poſt decimum diem*, *vi peſtis abripiuntur ægri*, quarè nil mirum, ſi Divinus Senex in *lib.*6. *Epid.* ità aſſerat, *Decubitus quidem*, *in quibus facta tollit*, *hæc ante facta prohibet*, cujus textus elucidatio ab eruditiſſimo Valeſio in ſuis Commentis eſt eruenda, dum ait, *eos decubitus*, *qui morbos aliquos ſolent ſuperveniendo tollere*, *eoſdem anticipando fieri prohibere*. Quare Cauterium efficaciſſimum præſervationis Remedium eſt, ab Experientia, Ratione, & Auctoritatibus comprobatum.

Finis ſecundæ Partis.

DE

DE PESTE
TRACTATUS
HISTORICO-MEDICUS
Pars Tertia,

In quâ tam generalis, quàm particularis Indicationum, & Curationis methodus inſtituitur.

CAPUT I.

De Indicationibus, & Curatione in genere.

QUamquam ſingulorum utilitas primarium hujuſce Opuſculi Votum ſit, neque illa abſque opportunâ remediorum præſcriptione obtineatur, eâ tandem fatali coarctor neceſſitate, ut

Utrum in Peſte detur remedium.

ut vel idoneum peſte affectis præſidium aſſignem, vel omni deſtitutam ſubſidio, ac fruſtaneum quodcumque proficiendi deſiderium affirmem. De primo ſingula tùm Veterum, cùm Recentiorum monumenta me terrent, arduumque, & difficillimum opus à nemine hucuſque perfectè traditum profitentur, dum ipſi tot remediorum Auctores alicui ea tantùm proficua, aliis non idonea, ſingulis ſępè fallacia, nemini tuta, & univerſalia pollicentur. Neque infelix Medicinæ conditio culpanda, dum tam infenſa peſtis quidditas eſt, malitia, ac intentio, ut ex infauſto veluti morborum omnium vaſe tot erui videantur exitia, quot veneni gradus, ſpecies, ac ſymptomatum varietatem expandit, undè non mirum, ſi quæ in unâ Peſte utilia extiterunt remedia, irrita in alterâ probentur, & ſi quid proficuum tandem intuemur, id tantùm poſt ipſam mortalium Stragem, ac ſaturatam, ut ità dicam, peſtis ſævitiem innoteſcit.

Quod autem nullum prorſus tanto

morbo

morbo curando adſit præſidium, abſona opinio eſt, & Orthodoxæ Fidei indecora, ea enim pijſſimi noſtri Numinis eſt Clementia, ut nullum inter Homines morborum genus permittat, quin idonea pariter, & remediorum, & Alexi-pharmacorum genera inſtituerit, & cum omnium atrociſſimus morborum ſit Peſtis, hinc ſi nullum, quo curari poſſet, daretur remedium, crudelis quaſi Divina Providentia accuſaretur.

Certum igitur adeſſe ſolet remedium, ſed ignotum; & cùm peſtis ſupremæ vindictæ flagellum ſinguli venerentur, hinc abditum ejuſdem arcanum eſt, ut Peccatorum nequitia expietur, opportuna interdùm eiſdem abſcondere præſidia, qui tam fatale exitium promeruere, juxtá illud D. Ambr. *Com. lib.* 6. *in Evang. Luc. cap.* 19. jam à me pag. 4. relatum, cui D. Gregor. auctoritatem addendam cenſeo, dum in *Evang. Hom.* 19. ait, *Ægritudo diutiùs præmit propter prolixiora vitia*, ut confirmari videtur à D. Chryſoſtom. *ſuprà Joan.*

Cur verum peſtis remedium ſit ignotum.

Joan. Homil. 37. his verbis, *morbi ex peccatis plerumque generantur*, quarè ſæpè Deo non lubet, ut contrà Peccatorum flagella, inter quæ peſtis, morbique omnes recenſentur, certum præſidium habeamus, uti teſtatur Geſnerus in *Epiſt. med.* 64., undè Jo. Crato verum peſtilentis veneni antidotum in Dei manu exiſtere profitetur, & Zacutus *tom.2. lib.3. prax. admir. obſerv.*38. *pag. m.* 104. ſoli Deo peſtem medendi permiſſam poteſtatem affirmat.

At ſicuti recõdita Divinę Iuſtitię arcana inveſtigare, nec Chriſti fidelis eſt, neque Medici, hinc naturaliter, ut ità dicam diſſerendo, veri contra Peſtem remedij defectus non aliundè referendus eſt, quàm ad variam contagioſi miaſmatis, ac venenatæ cauſæ qualitatem, Sexus, Ætatis, Temperamenti, Regionum, Temporum, & Tempeſtatum diverſitatem, à quibus quę in unâ profuerunt remedia, in alterâ eorumdem activitas enervabitur. Sic citiſſimè primis invaſionis horis ad Medicum confugiamus, ut in prima Parte cap.5.

pag.

pag. 210. jam expoſui, præter enim illùc relata Sennerti verba quod ipſe pariter ſubdit in pag. 817. hìc addere cenſeo, nempè, *ſi peſtis curatio protrabatur, & horæ octo vel duodecim jam elapſæ ſint antequam Medicamentum aliquod propinetur, centeſimus vix evadit*; Prudentis enim Medici munus eſt intenſiſſimam veneni qualitatem idoneis Alexipharmacis ſtatim emendare, ejuſque virus à centro ad circumferentiam educere. Hinc à variâ malignorum effectuum pernicie diverſam ejuſdem indolem, ut appropriatis occurrat præſidiis, conjicere debet, num ſcilicet coagulans ſit, num diſſolvens.

Unde eruendæ ſint indicationes.

Sanguinis ergò Coagulum indicabit ſubita citrà cauſam manifeſtam virium abjectio, totius Corporis gravitas, laſſitudo, & externa frigiditas, Bubones, univerſalia Exanthemata, Maculæ, & livores Cutanei, Linguæ, Partiumque extremarum nigredo, Pulſus parvi, formicantes, acerrimi Ventris dolores, ejus ſuppreſſio, & inflatio, Comatoſi, & Lethargici affectus, ſicuti

Signa Coaguli.

ejuſ-

ejuſdem aſſationem Carbunculi.

Signa Diſſolutionis. Diſſolutionis indicia ſunt Diarrheæ, Dyſſenteriæ, colliquativi, & syncoptici ſudores, immodicę ſanguinis per Nares, vel Uterum Hemorreggiæ, copioſi vomitus, ſinceri, & bilioſi, excreatus ſanguinei, ſubjugales, & ſubcruentæ interdum Urinæ.

Signa analoga Temperamentis. Hæc præcipua horum extremorum, in quæ maligni, venenati, ac peſtilentes morbi deſinere ſolent, fœnomena ſunt, & indicia, quæ tamen pro Temperamentorum varietate diverſificari ſolent, dum frequentiores Bilioſis ſunt, Viſcerum ardores, Vigiliæ, Deliria, Phrenitides, Vomitus ſinceri, Cardialgiæ, Oculorum inflammationes, Urinę hictericæ & flammeæ; Pituitoſis verò Sopores, Lethargi, Alvi fluxus, Sudores, Urinæ copioſæ, &c. ſicuti melancolicis Vigiliæ, Convulſiones, Motus convulſivi, Terrores, Timores citrà cauſam, & in ſingulis Virium proſtratio.

Hæc Temperamentis analoga ſymptomata ſunt, quibus quamplurima alia ſuperaddi poterunt, quæ omnia

Medicis

Medicis examinanda occurrunt, ut prępotentis prædictæ cauſæ intentio dignoſcatur, ac opportunis oppugnetur præſidiis. Cùm hæc autem non minùs, ac in præſervatione Chirurgico, & Pharmaceutico miniſterio inſtituantur, hinc ab eiſdem primariis Medicinæ fontibus præſcribendæ curationis ordinem deſumam.

Primò igitur, quid de Venæ ſectione ſentiendum ſit, quidve de purgatione generaliter diſſeram.

Secundò. Quibus Alexi-pharmacis utendum ſit exponam.

Tertiò denique, particularem peſtilentium ſymptomatum curationem inſtituam.

CAPUT II.

Utrùm in Peſte Venæ ſectio ſit imperanda.

Nulla convenit ſãguinis miſſio. DE Phlebotomiâ breviter diſſerens, antiquiſſimam Medicorum diſceptationem, ob quam alii in Peſte eam imperabunt, alii verò prorſus denegabant, hinc inde perquirere non cenſeo, dum Experientia rerum omnium magiſtra ab eâdem abſtinendum fore, indicavit. Meum igitur erit Venę ſectionem in verâ Peſte nullo modo convenire triplici argumento probare, *Ratione* ſcilicet, *Auctoritatibus*, & *Experimento.*

Probatur ratione. Primò igitur quidquid de Peſtis eſſentiâ ſuperiùs innui, in mentem revocandum eſt, idque præcipuè, quòd vera Peſtis qualitas in maligno Aereo veneno ſita ſit, Spiritus omnes, & pręcipuè Cor ipſum eſſentialiter lædens, totamque ſangninis maſſam peſtilenti

inqui-

inquinamento deturpans, ex ſubito virium lapſu, atque Animalium, ac Vitalium Facultatum languore primariò cognita; Hinc cùm nemini ignotum ſit, quod in qualibet morborum curatione non Medicus, ſed natura medio virium robore, eorumdem ſit medicatrix, evidens ſatis eſt, quod virium conſervatio, non tantùm poſitivè per cardiaca, ſed negativè, ea ſcilicet evitando remedia, quæ ipſas enervare queunt, primarium Medici munus eſſe debet; quod autem in Peſte vires debiles ſint, vel futuræ debiles, ex ipsâ cauſarum & ſymptomatum qualitate ſatis patebit; nam cùm Peſtis cauſa in venenato Aere ſpiritus omnes inficiente conſiſtat, & de die in diem majores veneni gradus ab eodem aquirantur, unde qnotidiè ſpiritus magis inficiuntur, ità continuò quoque enervari vires dicendum eſt, dum iſtæ non aliter, quàm à ſpirituum influentium activitate, vegetiores evadunt. Quod autem ſymptomata pariter virium languorem ſubindicent, adeò evidens eſt,

ut probatione vix egeat, dum Syncope, Deliquia, Diarrheæ coliquativæ, Sudores immodici, Narium, Menſiumq; fluxus, Corporis gravitas, ſegnities, pallor, ac frigiditas, aliaque innumera, imò ipſemet tam frequens inſtantaneus interitus, virium infirmitatem, aut ſubitam non rarò proſtrationem, atque defectum, vel efficiunt, vel declarant. Quare celebre eſt Zacuti monitum quod in *lib.4. Hiſt. Medic. pag. m.* 759. aſſeritur, *ſemper enim ſolliciti eſſe debemus, ne vires tantoperè diſſolvantur, & maximè in peſte, in qua ipſæ abſolutè fortes eſſe non poſſunt.*

Hùc maximè confert mirabilis Foreſti Auctoritas, qui *lib.6. morb. Epid., obſerv.4. pag. m.* 154. de Venæ ſectione, quam in peſtilenti conſtitutione anni 1553. mulieri imperaverat, differens ait, *ſed cùm amplas Venas haberet, & Venæ ſectioni aliàs aſſueta eſſet, alvo tamen priùs irritatâ, ac fæcibus communibus ità eductis, Vena communis in brachio, quæ magis apparebat ſecta fuit, ſanguine ad uncias*

quin-

quinque emiſſo, verùm cùm facies pallorem traheret, ac pulſus mutaretur, lipothymiâ ſubſequente; ab ulteriore ſanguinis detractione ceſſatum eſt; Ex quo textu plurima brevi innuere ſanè liceat, & primò quòd, quamvis hęc Patiens *Venas amplas* habuiſſet, & phlebotomiæ aſſueta, quare phletorica facillimè erat ſuſpicanda, lypothimia tamen cum faciei pallore ab ipſa Venæ ſectione producta fuit. Secundò quòd illa febris non verè peſtilens fuit, ſed *quaſi peſtilens*, ut ex ipsâ obſervationis inſcriptione eluceſcit, cum vermibus unita, quorum malignitas tam infenſa non eſt, nec ſpiritus, ac vires enervat, qualis *eſſentialiter peſtilens*, attamen Venæ ſectionem ſine animi deliquio ex ſpirituum, viriumq; defectu producto, pati nòn potuit, undè fortiùs arguendum eſt, eamdem in verâ Peſte omninò non convenire, dum in hac imbecilles vires jam exiſtunt, nec per eamdem noviter ſunt imminuendæ.

Quòd autem Venæ ſectio majorem earumdem lapſum inducat, Spiritus

diſſipet, undè ad maligno reſiſtendum miaſmati ineptiores redduntur, primarium vitæ theſaurum, ſanguinem ſcilicet imminuat, imò humores, ſpiritusque exagitando, ad illud faciliùs recipiendum diſponat, & ſi intrà Venas inſitum nundum eſt, eiſdem exinanitis faciliùs introducatur, neque peſtilentem, ac venenatam cauſam evacuet; imò tale Balſamum educendo, ad majorem infectionem reliquam liquidorum maſsam coadjuvet, Antracum, Bubonum, Exantematum, aliarumque evacuationum genera, ſi quæ à naturâ tentari queunt, tùm ipſam enervando, tùm contrarium inducendo motum, à periferiâ ſcilicet ad centrum, impediat, adeò luculenter innoteſcit, ut ſinguli Medicæ Scientiæ quamvis Tyrones non ignorent; nec Avicen. auctoritate opus eſt, qui in *tom.1. fen.4. lib.1. doctr.5. cap.20. pag. m.* 209. ait, *in earum principio penitùs phlebotomia dimittatur, quia humores ſubtiliat, & eos per Corpus fluere facit, & eos ſano ſanguini admiſcet, & nihil*

eva-

evacuatur ex eo, quòd oportet, quòd multò magis in peſtilenti venenatâ cauſâ dicendum erit, undè nil mirum ſi à Foreſto *cit. loco pag. m.* 153. ità aſſeratur, *ſi morbus ſit ex merâ Contagione Aeris, Venæ ſectio minùs prodeſſe poterit, cùm ſeminaria Contagionis Venæ ſectione non poſſunt educi, imò contrarium effici*: Mercurialis in *lib.* 5. *de febr. pag. m.* 649. clariſſimè teſtatur, *miſſio ſanguinis trahit venenum, quod aliquâ parte latet in Venis, ubi venenum in venas propagatum eſt, prorsùs malum irremediabile reddit*, ut confirmat pariter Sylvius, dum Venæ ſectionem in Peſte negando, talem refert rationem, *quia exhauſto ſanguine perſpirabile fit Corpus, externiſque injuriis magis pręvium redditur*, & paulò inferiùs ſubdit, *quin etiam vires fiunt debiliores detracto ſanguine, qui vitæ pabulum, & theſaurus eſt.* Quæ omnia unico textu complector, ex Fernel. ſcilicet, qui in *lib.*2. *de abditis rerum cauſ. cap.* 12. *pag. m.* 104. ait, *etenim extrinſecus nos circumfundens pernicies, va-*

cuato ſanguine,& Spiritu,in Pulmones, in Cor,& in Venas faciliùs penetrat, ac ferociâ majori incaleſcit, ſanguis etiam phlebotomiâ concitatus propriùs labem contrahit, quin etiam vires vacuatione imminutæ inſilienti perniciei minùs obſiſtunt. Et licèt Zacutus *in Hiſt.* 48. *pag. m.* 759. Juvenem peſtifero phlegmone affectum per Venæ ſectionem liberaſſe deſcribat, dicendum tamen eſt, quòd reliqua veræ Peſtis ſigna in eodem non aderant, & præcipuè vera Aeris infectio, dum peſtilentes non raró intuemur Bubones, aut alia tumorum genera, quæ tamen Peſtem non decernunt.

Quamvis autem hæc ſufficere mihi videantur, ut generaliter in verâ Peſte ſanguinis miſſio cum ratione prohibeatur, hoc ſuperaddendum tamen cenſeo, quòd ſi Sennertus *lib.* 5. *inſtitut. Med. part.*2. *ſect.*1. *cap.*17., *pag. mihi* 615. in Cachochimiâ exquiſitâ Venæ ſectionem imperandam non eſſe teſtatur, ſed eam potiùs evacuationem inſtituendam, quæ humoribus vitioſis

pro-

propriè debetur, & illa tantùm evacuatio ab Hipp. in ſuis Aphor., & à Gal. in ejus coment. ſalutaris, & utilis ſit, quæ qualia oportet, educet, & è contra Venæ ſectio ſanguinem bonum, cum pravis humoribus evacuet, nec eumdem à pravis, & malignis qualitatibus defæcare valeat, quonam potiori argumento deducendum nunc erit, eamdem in vera Peſte nullo modo convenire, quia venenata, & peſtilens cauſa, ſanè potentior eſt, ac ipſa ſimplex cachochimia, undè à fortiori validiùs à peſtilentibus humoribus prohibebitur, ſi à Cachochimis renuitur? ut mirabiliter ab ipſo Sennerto in *lib.*4. *de febr. cap.*6. *de curat. peſtil. pag. m.*815. manifeſtè confirmatur.

Probatur Auctoritatibus & experiētia.

Secundò. Neque mittendus erit ſanguis in verâ Peſte, quia præter huc uſque allatas rationes, Auctorum Monumenta, cum fatali experientiâ ſociata, eamdem omninò prohibent. Ità Hipp. poſtquam 1. *Epidem.*, in peſtilenti conſtitutione, eamdem imperaſſe deſcripſerat, nulli ferè proficuam extitiſſe

tiſſe in *lib.*6. *Epid.* profitetur; & Gal. in *claſſ.* 4. *libr. de cibis boni vel mali ſucci pag. m.* 36., eamdem numquam profuiſſe confirmat, imò in *libr. de diff. febr. cap.*4. *pag. m.* 31., dum peſtilentium morborum Curationem inſtituit, nullam de Venæ ſectione mentionem egiſſe innoteſcit. Ità Zacutus *tom.*2. *lib.*3. *prax. obſerv.*42. *pag. m.* 105. poſt quam ſanguinem nimiâ in copia, è cucurbitulis emanantem, læthalem profeſſus eſt, ità concludit, *omnes obiere, nam facultas retentrix à veneficá qualitate prorsùs erat extincta*, quòd certiùs de Venæ ſectione dicendum erit, dum è majoribus Venis in hac ſanguis educitur. Sicuti Etmulerus in ſuo tractatu de Peſte *p.m.*305. ait, *in Peſte ſatiùs eſt Venæ ſectionem planè intermittere quàm vires eâdem labefactare, quarum maxima conſervădi eſt neceſſitas; prætereá nullum eſt indicans Venæ ſectionis, e contrà plura incommoda poſt Venæ ſectionem obſervata, omninò Venæ ſectionem prohibent, eamdemque interdicunt.* Eximius

mius

mius Diemerbroeck, poſtquam validioribus rationibus negativam Sententiam probavit, ità ait, *maximam autem eſſe experientiam, quæ ſemper docuit in Peſte cum infeliciſſimo ſucceſſu inſtitutam fuiſſe Venæ ſectionem, liquet ex Medicorum ſcriptis*, imò in *lib.3. cap.3. pag. mihi.* 249. innumeris celeberrimis aſſignatis Auctoribus, à quibus illa communiter renuitur, ità ait, *quapropter concludimus Venæ ſectionem in Curatione Peſtis tamquam maximè exitialem ſemper fugiendam eſſe*; Singula autem ab eodem relata exempla hic referre, & inutile eſt, & prolixum, quare hoc tantum innuam, quod Falopius in Peſte anni 1524. & 1530. Foreſtus in Delphenſi anni 1559., Hildanus in eâ 1508., & 1529., Dodoneus in illa 1602., unà cum Mindero, Cardano, Geſnero, Cornelio, Gemmâ, & quamplurimis aliis, omnes in Peſte phlebotomatos extinctos fuiſſe teſtantur; imò Wierus (referente River. in lib. 17. prax. p. m. 334.) in Catarrho Epidemico, qui anno 1580. per totam

ferè Europam vagatus eſt, & ex quo omnes ferè evadebant, ità ut vix milleſimus quique moreretur, tamen ferè omnes quibus ſecta Vena fuerat, interiiſſe fatetur. Ità Paræus lib. 21. de Peſte cap 24. de celebri Peſte Pariſienſi an. 1565., poſtquam accuratè ab omnibus extraneis Medicis, novam, certioremque curationis methodum expoſtulaverit, ità concludit. *Omnes unà voce reſponderunt, ſe ſedulò obſervaſſe omnes Peſte correptos, quibus ſanguis detractus fuerat, deteriùs inde habuiſſe, tandemque interiiſſe.* Quamvis enim Ludovicus Septalius in Animad. Medic. lib. 5. num. 36. in inſigni Peſte Mediolanenſi anni 1576. feliciori ſucceſſu Venæ ſectionem imperatam fuiſſe fateatur, addit tamen, quod illa Peſtis, non ex Aeris corruptione orta fuit, ſed ex Contagio communicata in ſaluberrimâ anni conſtitutione, & maximâ plethoræ urgentiâ, dum ipſemet in Peſte ab univerſali Aeris corruptione, aut victu pravo productâ, numquam phlebotomiâ utendum eſſe profitetur.

Ità

Ità Doctiſſimus Chriſtini, ut ab Eminentiſſimo Gaſtaldi confirmatur, in Peſte Romæ anni 1656. exitiales extitiſſe Venæ ſectiones deſcribit, & numquam ſatis celebratus Muratori in Peſte anni 1630., quæ Mutinæ immaniter ſæviit, nullam ſanguinis imperandam miſſionem typis impreſſum fuiſſe decretum fatetur; at quid ulteriùs progredior? ſatis evidens eſt Fernelij opinio qui *lib. cap. & pag.* 104. ultimo cit., unà cum experientiæ, & Medicorum auctoritate mirabiliter ait, *in hac Medici celeberrimi, & qui longo artis uſu doctrinæ ſtudia compleverunt prorſus abſtinent à Venæ ſectione, niſi admodum ingens adſit plenitudo, experti, eos quibus ſanguis, ſivè initio, ſivè poſteà eſſet miſſus, aut paulò poſt obiiſſe, aut in deteriùs lapſos eſſe.*

Colligendum autem ex hoc textu nunc ſupereſt quod quamvis ex plurimorum auctoritate ſuperiùs relatâ, & præcipuè Diemerbroeck, adeò in quibuſdam peſtilentiis ab omni Venæ ſectione abſtinendum ſit, ut etiam ex

ipſis

ipſis apparentibus menſtruis fatale deducatur indicium, ob ſanguinis ex venenato, ac veluti arſenicali miaſmate diſſoluti facilè ſuccedens profluvium, ut ſcripſit in *Annot. Hiſt.x. pag.*362.; ſæpè tamen in ſumma cruoris redundantia, vegetiori ætatis Tempore, fervidis Temperamentis, Menſium, vel Hæmorroidum ſuppreſſione indicari adeò poterit Phlebotomia, ut eamdem omittere periculoſum videatur, quarè duo notanda mihi occurrunt.

Sæpè indicatur.

Duo notanda, & primo.

Primò. Quòd ſuperiùs cum Venæ ſectionem Peſti omnimodè contrariam probavi, generaliter ſemper *de vera Peſte* diſſerui, de illa videlicet, quæ ab Aereo miaſmate totam liquidorum maſſam primariò coinquinante, ſingulaſque tam Animales quàm Vitales Corporis Facultates pervertente procedit, ut ſentit Foreſtus loco ſuperiùs jam citato, nam in hac certiſſimum eſt, fatalem exiſtere phlebotomiam; Verùm ſi nullis peſtilentibus ſuperiùs deſcriptis ſymptomatibus, etiam peſtilenti graſſante conſtitutione, lædatur

Æger,

Æger, Febre tamen ardenti, aut inflammatorio aliquo affectu corripiatur, & ingentis plethoræ ſigna, in valido virium, ætatis, aut conſuetudinis tempore nos urgeant, moderatam ſanguinis detractionem inſtitui poſſe cenſeo; tunc enim non vi Peſtis peribit, ſed alterius acuti morbi, vel ſymptomatum violentiâ enecabitur.

Dixi autem *moderatam*, quia de univerſali peſtilentiæ ſæviente cauſa quolibet in morbo ſuſpicandum ſemper eſt, & ad eamdem quodlibet morborum genus referendum, prudenti experientiæ conſilio ferè ſinguli docent, & præcipuè Diemerbroeck in pluribus ſuis Hiſtorijs, & maximè in 5., in qua Ægrum Peſte interemptum abſque ullo tamẽ Peſtis indicio deſcribit, necnon in *Hiſt.8.*, in qua ex ſola contumaci Cordis anxietate, nullo alio aſſociatâ ſymptomate, Peſte plurimos extinctos fatetur, cujus cauſa ad eximiam veneni peſtilentis qualitatem Cor ipſum primariò afficientem reducitur, quarè non niſi cautè nullo etiam vigente Peſtis ſym-

Semper de Peſte ſuſpicandum eſt etiã in aliis morbis.

ſymptomate, ſi hæc vel proxima ſit, vel actu ſæviat, præſentibus etiam Plethoræ ſignis, Venæ ſectio eſt imperanda.

Utrùm à peſtilentibus inflammatoriis morbis, aut imperfectà Bubonũ expulſione Venæ ſectio indicetur.

Secundò. Id maximè obſervandum eſt, quod peſtilentes ſæpè Anginæ, Peripneumoniæ, aut Pleuritides, veram Peſtem concomitantur, ut teſtatur Hip. *in Epid.*, & Foreſtus in *ſuis obſerv.*, & reliqui, aut ſæpè à nimia ſanguinis redundantia adeò obruitur natura, ut Antracum, vel Bubonum expulſionem perficere nequeat, quod ex apparente, ſed lentâ eorumdem ad cutem tranſmiſſione, ingenti febre, partis rubore, dolore, ac inflammatione arguetur, & tunc contrariâ inſtitutâ methodo, ne à ſymptomatum urgētiâ, aut retroceſſa tumorum materiâ, opprimatur Æger, Venæ ſectione ſublevandus erit; parca tamen hæc eſſe debet, quia hiſce etiam in peſtilentibus inflammatoriis affectibus læthalem interdum unà cum experientiâ extitiſſe phlebotomiam docet Riverius in antecedenti *cit. loco* dicens. *Hoc apparet in vera Peſte, in qua multorum,*

torum, & probatiſſimorum Auctorum experientiâ, omnes Ægri, quibus ſecta Vena fuit, è medio ſublati ſunt, ità ut etiam in Pleuritide peſtilenti ſanguinis miſſionem inſignem noxam attuliſſe, & morbi ſævitiem intendiſſe affirmant, quod autem ratione imperfectæ tumorum eruptionis cautè pariter ſecanda ſit Vena, præter retroceſſus metum, ſatis comprobatur à Gal. qui in *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap.* 14. *pag. m.* 122., dum phlebotomiam in phlegmonum curatione præſcribit, eam tamen prohibet, ſi tumores malignitatem præſeferant, multòque magis ſi peſtilentes conjiciantur, quòd ſi tamen adeò evidens in Peſte ſit ſanguinis exceſſus, ut Ægri ſuffocationem pertimeamus, & ſingula ſuperiùs allata requiſita concurrant, moderatè mitti poterit, dummodò tamen in ipſomet febris, aut morbi initio, nec æſtivis caloribus inſtituatur. Prima conditio tam neceſſaria eſt, ut à ſingulis quàm maximè præcaveatur, tunc enim peſtilens graſſantis veneni qualitas adeò intra

Duæ conditiones requiſitæ in

Venæ ſectione. Prima ut primis horis fiat.

intrà ſanguinis maſſam impreſſa nundum eſt, ut eam totaliter jam infecerit, ac per conſequens peſtilentibus numquam ſuperabundat humoribus, à quibus phlebotomia contraindicetur, undè præd. Foreſt. *in lib. 6. de morb. Epid. obſerv.2. in ſchol. pag. m.*152. clariſſimè inquit, *Erat autem materia in illo populari morbo ità furioſa, ut uno momento tantam Anhelitus difficultatem, Cordiſque anguſtiam, & dolorem in Collo pareret; ut Ægrotus ſtrangulari mox videretur, quibus ſymptomatibus rurſus ceſſantibus, moxque redeuntibus, cum materia adeò maligna, venenoſa, & fluxa per muſculos Colli tum pectoris, uno ictu trajiceretur, omnes facillimè curabantur ſectâ quamprimum Venâ antè ſex horas à morbi invaſione:* & paulò poſt ſubdit, *nam quibus hæc primâ die non adhiberentur, ſubitò ſuffocabantur* & inferiùs in *obſerv.*17. *pag. m.* 176. de univerſali Peſtis Delphicæ curatione diſſerens ait, *Ubi igitur vires, plethora, ac ætas conſentirent, ſi malum*

jam

jam primò invaſiſſet, neque ſeptem, vel octo horas præteriiſſet, Venæ ſectionem adhibebam, quibus verò malum ad 12. *horas, vel diem naturalem pertranſiſſet, nullo modo Venæ ſectionem adhibebam, experientiâ enim vidimus, quibus poſt duodecim horas, vel diem, Venæ ſectio fieret, quòd morerentur, antè ſeptem, vel octo horas ſectione Venæ tempeſtivè adhibitá, meliùs curabantur*, quòd paulò poſt confirmat dicens, & *antè apparitionem* (Carbunculorum ſcilicet, aut Bubonum) *Vena commodè ſecta juvabat, ſed poſt octo horas hujus Febris nocebat*, quarè ſanguinis miſſio ſi ex ſuprà allatis cauſis indicetur, (quòd tamen rariſſimè in verâ Peſte contingit, in qua inducias morbi violentia vix ſinit) ſtatim, & primâ Febris, & ſymptomatum acceſſione erit præſcribenda.

Illud autem obſervandum pariter eſt, quòd hæc Æſtivis ardoribus non inſtituatur, quia major tam Spirituum, quàm Virium diſſipatio ob majorem Corporis laxitatem inducetur; quarè *2. Conditio, ut non fiat Æſtivo tempore.*

Gal. in *claſſ.6. lib.1. ad Glauc. cap.14. pag. m.* 96. phlebotomiam in æſtivis caloribus negando, ità ait, *atque ideò inter Canis ortum & Arcturi, omnes, quibus Medici nihil omninò de temporum ſtatu cogitantes ſanguinem abſtulerunt, interierunt*; & cùm major Peſtis ſævities Æſtate, ut plurimùm graſſetur, ut cum Arabum Principis auctoritate in prima parte pag.57. ſuperiùs expoſui, ut ad propoſitum Venę ſectionis theorema concluſionis gratiâ nunc redeam, nullam per hoc etiam in Peſte æſtivo tempore convenire cenſeo, quia ab ipsâ temporum qualitate contraindicatur.

CAPUT III.

De Cucurbitularum, & Veſiccantium uſu.

QUamquam aptior de Cucurbitulis, ac Veſiccantibus ſermo, cùm de Antracibus, ac Bubonibus diſſeram, nonnullis videatur, prout eorumdem medio rebellis ipſorum humor perfectiùs ad periferiam attrahetur, non nihil tamen de eiſdem ſpeciatim hìc agere duxi, quia ſæpè nullis etiam apparentibus Carbunculis, aut Tumoribus, eiſdem utendum erit, dum Cucurbitulæ Venæ ſectionis vicariæ, unanimi Medicorum conſenſu, cum Avicen. *lib.*1. *fen.*4. *doctr.*5. *cap.*21., *pag. mihi* 216. denominantur; quoniam tamen id de ſcarificatis tantùm intelligendum eſt, per quas ſcilicet venarum plenitudo depleri poteſt, ità de hiſce priùs, indè de ſiccis pauca referentur.

Cucurbitularum munus, & definitio.

Harum primariũ munus, uſus, ac Definitio, non aliundè quàm ex Claudino *de ingreſſu ad infirm. lib. 2. cap. 4. pag. m.* 50. deſumenda eſt, dum ait, *adhibentur verò Cucurbitulæ ſcarificatæ; vel ut materia remedii ſubſtituta Venæ ſectioni, vel ut materia principalis, & rurſus, ſi ut principalis, vel ut materia totum evacuans, vel ut evacuans partem determinatam.* Videndum igitur eſt, num contraindicatâ ex præfatis rationibus Venæ ſectione, affigendę in Peſte Cucurbitulæ ſint, & ſcarificandæ.

Utrum in Peſte ſcarificatæ conveniant.

Foreſtus in ſuperiùs *cit. locis*, & præcipuè in *pag.* 153. poſt negatam phlebotomiam ità ait, *& experientiâ jam dudum obſervavimus Cucurbitulas etiam cum ſcarificatione talibus magis profuiſſe*, & in pag. 176. addit *Cucurbitulas cum ſcarificatione ſatis profundâ*, *Collo*, *Homoplatis*, *Lumbis*, *Natibus*, *Cruribus ſemper loco proximè affecto apponere jubebam*, *quæ in peſti lentibus febribus à quibuſdam magis laudantur*; Cùm autem in earumdem

præ-

præſcriptione duplex Medici intentio, ut plurimùm ſpectanda ſit, vel ſcilicet ut plenitudo evacuetur, vel ut à Corde veneni qualitatem ad cutem evocemus, hinc in Peſtis curatione totidem urgere indicationes videntur; ſi enim ſanguinis redundantia manifeſtè elucefcet, & cùm hæc per phlebotomiam imminui nequeat, ut ab immodico ejuſdem onere ſublevetur natura, ad Cucurbitulas confugere, improprium quidem non eſt, ſed neceſſarium, tali enim ſcariſicatione abſque minori virium, ſpirituumque detrimento, naturæ exigentia ſublevabitur, quare Zacutus in *p*.759.in anteced.cap. jam cit.clariſſimè inquit, *magis commendatur ſcarificatio in Peſte, quòd hæc cæteris paribus vires minùs enervat, quàm Venæ ſectio, quia ſectis amplioribus vænis, major ſpirituum copia exhauritur, quàm ſi capillares Venæ incidantur*; imò ſi quid deleterij, venenati, aut peſtilentis intra ſanguinis maſſam jam tumultuetur, facillimè à centro ad Corporis habitum, imò ad ipſas Cucurbi-

tulas attrahetur, undè earum ſcarificatione faciliùs extrà Corpus dejicietur. Ita ſanè ſentire pariter videtur Mercatus *in lib.7. febr. peſt. pag. m.* 593. dicens, *ad Cutem evocare in hoc caſu grandi diligentiâ oportet prædictos venenatos ſuccos tùm Cucurbitulis, tùm ſcarificationibus, tùm frictionibus*, ut confirmatur etiam ex Gal. 13. *meth. cap.*19., *pag. m.* 83. ubi Cucurbitulas pro attrahendâ à profundis partibus materiâ *ſtrenuum* ſanè *Remedium* appellat. Atque hinc eſſe opinor, quòd Veteres omnes Crurum ſcarificationem in Peſte tam celebrarunt, de qua pluribus in locis diſſerit Gal., & præcipuè in *Com.*2. *Aph.*17. *pag. m.* 310. dicens, *proxima autem Venæ ſectioni evacuatio eſt, quæ per Malleolorum ſcarificationem fit,ut nos facere conſuevimus*, de qua re celebris eſt Oribaſij Auctoritas à ſingulis ferè relata, imò à nonnullis ipſi Gal. adſcripta, dum ille *in lib.7. Med. Collect. cap.*20., *pag. mihi* 317. ità ait, *Cùm peſtilentia vehemens per Aſiam vagaretur, multique ob eam*

cauſam

cauſam obirent, egoque in morbum itidem incidiſſem, ſecundo die, cùm remiſſio fieret, crus ſcarificavi, & ad duas libras detraxi, atque hac ratione vitavi periculum; quo ſanè auxilio cùm multi quoque uſi fuiſſent, ſunt ſervati. Notandum tamen eſt, quod nomine talis ſcarificationis, non eamet ſanguinis evacuatio, quæ per Cucurbitulas ſcarificatas more noſtro inſtituitur, eſt intelligenda, tùm quia eiſdem Veteres Medici non utebantur, uti fatetur Maſſaria in *tract.1. lib.2. de peſte pag. mihi* 527., tùm quia talia ſcarificationum genera per longas, largaſque inciſiones, longis præmiſſis balneis, ac frictionibus inſtituebantur, ut teſtatur cum dicto Maſſariâ *p.m.*673., Diemerbroeck, qui licèt Ægyptiis, & Turcis in peſte talem ſcarificationum modum per longiuſculas uſque ad triginta, vel 40. inciſiones infrà ipſum genu inflictas, familiarem eſſe deſcribat, ipſe tamen in illâ peſte cùm nonnullis Recentioribus eaſdem etiam renuit, imò illas numquam felicitèr præſcripſiſſe declarat, ac per

conſequens, ab illis ſe abſtinuiſſe fatetur, & petechialibus febribus, aliiſque peſtilentibus morbis ſatiùs convenire docet, quàm in verâ peſte; quare deducendum id ſaltem videtur, quod numquam eiſdem ſcarificatis utendum eſt, niſi urgentibus plethoræ ſignis, per phlebotomiam non depletæ, tunc enim ab illis venenatus cruor extrahetur, & à nimiâ cruoris copiâ vaſa ipſa exinanientur; neque contemnenda talis malleolorum ſcarificatio, ſi alicui tanti remedii genus arridebit.

Quibus partibus affigendæ. Hoc interim ex tot Veterum monumentis arguendum nobis ſupereſt, quòd inferioribus partibus affigendæ illę ſunt, ut à Principibus, ad remotiores peſtilentis humoris qualitas revellatur; quamvis autem ex ipſomet Gal. Cucurbitularum uſus niſi evacuato Corpore, & depletâ ſanguinis Sarcinâ non inſtituendæ videantur, id tantùm in malignis, ac peſtilentibus febribus intelligendum erit, non in verâ peſte, in qua nullam Venæ ſectionem convenire jam aſſerui, & ſi quid ſanguinis etiam

per

per Cucurbitulas evacuandum erit, id in morbi invaſione, & maximâ etiam cum cautelâ præſcribendum.

Cucurbitulæ verò ſine ſcarificatione ſæpiùs proficuæ comprobantur, præcipuè ſi Bubones, Exantemata, aliudque Cutaneæ evacuationis genus, à lentâ, obrutâque naturâ imperfectè expellatur, maximam enim à centro ad circumferentiam attrahendi vim habent. Numquam tamen ſuprà Bubones affigendæ ſunt, ne major ad affectam partem maligni humoris attractio inducatur, ſed in proximioribus eorumdem partibus utendum, ut inferiùs referam; à Pectore autem, Cordeque ſemper longinquę ſint, ne malignum, peſtilenſque miaſma, quod ab eiſdem attrahetur, ad ipſum Cor propagetur. *Cucurbitulæ ſiccæ.*

Veſicantia demum, quamvis à Maſſariâ in *lib.5. de febr. pag. m.* 430. contraindicata videantur, à Veteribus tamen ſæpiſſimè pręſcribebantur, & Proſper Alpinus feliciſſimum in Egyptiaca peſte remedium extitiſſe fatetur. Eorumdem uſus ab Oribaſio in *l.8. Medic.* *Veſicantia.*

Collect.

Collect. commendari ſatis videtur, dum *cap.* 19. *pag. m.* 344. ait, *vehementiſſimos influxus ſuccorum, auxiliis revellentibus confeſtim ingruere probibemus.* Ità Marſil. Ficin. ea pro veneno à Nobilioribus partibus revellendo, quàm maximè celebrat, idque maximè ſi ad Coagulum peſtilens tendat miaſma, & graviſſima Capitis ſymptomata concomitentur; imò eadem à Gal. 5. *meth. cap.* 12. per hoc maximè comprobari videntur, quod omnes tunc evaſiſſe aſſerat, quibus in variis Corporis partibus exulcerationes apparuere, dum per talia Ulcerum genera læthalis, & venenata materia expellebatur, unde Riverius in præf. locis pag. nunc 335. ait, *Potenter etiam pravos, ac venenatos ichores attrahunt, & revellunt Veſicatoria variis partibus admota.* Remotioribus autem in locis, ut Cruribus, Femoribus, & Inguinibus in principio applicanda ſunt, & ſub infimâ tumoris parte, ſi hic lentus illa indicet, ut rectâ & declivi viâ ad ignobiliores Corporis partes ſuperioribus, ac

prin-

principibus exoneratis, peſtilens tumorum, humorumque qualitas expurgetur. Sed de his fuſiùs fortaſſe agendum erit, cùm de Bubonum Curatione diſſerendum.

CAPUT IV.

De Purgatione tempore Peſtis.

INfenſiſſima quidem Peſtis conditio, ut ea quæ aliis in morbis maxima, & proficua contingunt, in ipsâ tantum, veluti fatalia renuantur. Talis eſt purgatio, præcipuum Pharmaciæ præſidium, quod peſtilentibus in conſtitutionibus haud convenire, unà cum ipſa ratione, Auctorum, & Experientiæ monumenta teſtantur; ut autem clariori procedã ordine, examinanda in primis occurrit validior purgationẽ admittentium ratio, ut majori eorumdẽ depreſſo robore, certior vigeat negativa opinio. *Utrum purgatio conveniat.*

Potentior ergò eorum cardo in hoc

Purgationem admittentium rationes

hoc præcipuè innixus eſt, quod omnium maximus, & graviſſimus morbus ſit Peſtis, tali tantâque deleteriâ humorum qualitate ſociatus, ut eorumdem concoctio neque expectanda, neque ſperanda ſit, ſed cum Divini ſenis præcepto ſtatim educenda, ut ſublevata naturâ, reliquas tumultuantes impuritates, per ſecretoria vaſa, vel *Bubonum*, vel *Antracum*, vel alterius evacuationis ſub formâ, à centro ad circumferentiam expellat, & è contra iiſdem non evacuatis, major totius liquidorum maſſæ infectio, & ſecurior Ægrotantium pernicies conſequeretur.

Renuūtur eorumdē argumenta, & ratio cur nulla conveniat purgatio.

Verùm nemo tam rudis eſt, qui inefficacia non tantùm, ſed fallacia eorumdem argumenta non noſcat, dum per ipſos tota Peſtis conditio in eſſentiali putridâ humorum qualitate conſtituitur, at è contrà vera tantùm peſtis dicenda erit, quæ primariò à venenata aeris infectione Cor ipſum, inde Spiritus eſſentialiter lædente (ut ſuperiùs in prima Parte cap. 4. pag. 81. & ſequ. expoſui) procedit; Quod autem ex vitiata

tiata

tiata aeris, & ſpirituum diathæſi, maligni ſubinde humores intrà ſanguinis maſſam progignantur, & graviora peſtis Symptomata efficiant, *Secundariæ* tantùm cauſæ à *primariâ* ſcilicet *propagatæ* dicendi ſunt, nec primarias curationis indicationes inſtituere valent; Bubonum enim, Antracum, Exantematum, Vomitus, aliarumque evacuationum genera, quæ immodici putreſcentium, & venenatorum humorum proventus prodromes, & exonerandæ naturæ indicia appellantur, potentiori veneni activitati per cardiaca, & alexipharmaca ejuſdem intenſioni per analogam proprietatem accommodata ſtatim ſuccurrendum potiùs indicant, quàm per purgantia eorumdem diminutionem, eodem ferè pacto, quo in Bubonis celtici Curatione, ad antivenerea ſtatim præſidia, venenatam ſcilicet cauſam primariò oppugnantia, reliquis omiſſis, confugimus, & ſi quid humorum pravitatem corrigens, ac pręparans exhibemus, id ſpecificam, & analogam alexipharmaci qualitatem

ſemper continet,&malignum intra ſanguinem impreſſum miaſma oppugnat.

Verùm ulteriùs progrediendo, ut tanta humorum copia, eo, quod par eſt, ſublevamine, educatur, leviuſculo quolibet neglecto minorativo, cauſę ſcilicet activitati non idoneo, electivi catartici qualitas pro intenſiſſima veneni validitate exigitur, quod niſi maximo virium detrimento, ipſorumque humorum agitatione propinari non poteſt. Electiva enim purgantia, quantum vires enervent, ſpiritus abſumant, humores exagitent, nimiâque eorum agitatione tumultuentur, evidens ſatis eſt, ut probatione non ægeat, dum eruditiſſimus Schenkius, qui experientiâ ipsâ docente obſervationū ſylvam perfecit, ita in *pag. mihi* 881. ait, *quare emergentibus Bubonibus, Carbunculis, aliiſque eruptionibus peſtilentibus, quarum cauſa ſit in ſolo aëris vitio, à purgatione, & phlebotomiâ abſtinendum, non enim dubium eſt, quin debilitatâ utroque evacuationis genere naturâ, exhauſtiſq; ſpiritibus, aura venenata in*

va-

vacuum corpus faciliùs ſubeat, & recipiatur, receptaque in idem debilius factum Tyrannidem exerceat. Contrà verò corrupti putridiq; educti humores (a quibus tamen peſtilentiæ cauſa non oritur) venenum cordi, & ſpiritibus impreſſum, neque minuunt, neque expellunt, quia adeò infenſa ejuſdem eſt qualitas, ut evacuari juxtà Cratonem nequeat, ſed antequam vitæ fontem unà cum ſpiritibus inficiat, alexipharmacis immediatè eſt deprimenda.

Purgantibus autem in peſte, neque per hoc utendum erit, quia natura morborum provida medicatrix in tot peſtilentibus conſtitutionibus, ac tot evacuationum hùc uſque patrato genere, vel nunquam, vel fatales tantum alvi fluxus inſtituit, cùm enim à veneno ſeſe explicare conatur, ne ab ipſo nimio impetu obruatur, criticam à centro ad circumferentiã ejuſdem expulſionem molitur, ut in Carbunculis, Bubonibus, Exantematibus, maculis &c. innoteſcit, ita præcipua ejuſdem extirpationis indicatio per ſudoriſica tantum

ut

ut inferiùs tradam, à tot eximiis de peſte Scriptoribus, tamquã per immediatam ab intrò ad extra evacuationem adimpletur, non autem per alvi motum, quia naturæ immediatè oppoſitum, ut præter quotidianam in praxi de Morbillis, & Variolis experientiam, Chriſtof. à Vega verba referens, ait Diemerbroeck, *In febre peſtilenti naturæ motus univerſus eſt ad cutem, hunc Medicus per ea, quæ ſudorem aliciunt juvabit, unicè autem cavebit, ne per alvum evacuet, quod is motus naturæ inſtituto è diametro oppugnet*, & ratio à Senerto *in lib.* 4. *de febr. cap.* 6. *de curat. peſtil. pag. m.* 816. petenda eſt, dum ait. *Nam cum natura plerumque venenum peſtilens ad ambitum corporis expellat, purgatione hic motus naturæ impeditur, venenum peſtilens ad interiora retrabitur, humoribuſque magis permiſcetur, ideò humorum motu concitato periculoſæ, imò læthales diarrheæ excitantur*, præter quod Mercatus qui in *lib.*7. *de febribus peſtil. & malignis pag. mihi* 622. in variolarum curatione, ab omni

purgantium genere abſtinendum fatetur, ob contrarium nempè, qui à catarticis inducitur Variolarum motum, ab extrà ſcilicet ad intra, undè ſi alibi Medicos ſupplicio dignos appellat, qui erumpentibus maculis medicamenta præſcribunt, potiori jure in peſtis curatione purgantia ſingula, ob eumdem retroceſſus metum omnimodè excludit, & clariſſimè in *pag.* 593. ità ait, *nam ſi id peſtilenti contagio ſolùm operante porrigas, humores venenatos à circumferentia ad viſcera allicies, vel cùm peſtilens ſpiritus pharmaco non cedat, longè magis lędes, & naturales, ac quietos humores citiùs agitabis*, & paulò inferiùs ſubdit, *itaque dum ex aeris contagioſo, morbidoque veneno peſtis oritur, potionibus maximè, quæ adverſantur venenis, & peſtilenti contagio, rem agere eſt ęquum.* Imò *in pag.* 613. methodicam inſtituendo peſtis curationem, dum ab alexipharmacis exordiendum eſſe ſuadet, ita ad propoſiti mei theorematis probationem mirum in modum confirmat, *mox in principio*

alexipharmaca, aut aliis miſcenda, aut per ſe ſola ſunt exhibenda, nam cùm malignum contagium, neque purgatione, neque ſanguinis detractione, aut quovis alio ex auxiliis, quæ putredini, obſiſtunt quieſcat, fręneturque, fit ſanè quo negligentiùs, & moroſiùs hæc adhibeamus, eò contagioſa ſeminaria magis ſe ſe in reſiduum materiæ inferunt.

Verùm ne ulteriùs progrediar quantum in peſte periculoſa ſint Alvi profluvia, & per conſequens quantum à purgantibus abſtinendum ſit, dum ex his illa producentur, Hipp., & Gal. auctoritates referre mihi ſufficiat; dum ille in vehementi, peſtilentique ſtatu in *ſuis Epid.* deſcripto, ſic monet; *Purgationes malè ferebantur, & ferè omnes per Alvi fluxum peribant.* Galenus autem *in lib. 3. com. 3. de morb. vulg. pag. 3. tex. 57.*, Alvi fluxum non ſolùm in peſte maximè periculoſum aſſeruit, ſed patognonomicum peſtis ſignum illum appellat his verbis, *ea quoque longiſſima Peſtilentia, quæ noſtrâ ętate vulgata eſt, ex ijs, quæ per alvum excernebant,*

omnes ferè peremit, quę autem evacuabantur, erat coliquatio quod quidem videtur eſſe perpetuum ſymptoma ejus febris, quam peſtilentem propriè nominant. Ità Palmarius in peſte anni 1565. ut refert Diemerbroeck, ſic confirmat, *vix centeſimus quiſque evadit, vel qui incipiente morbo catartico utuntur, vel ſpontaneo Alvi profluvio corripiũtur, vel exacto triduo, quatriduoque Venâ ſectâ, ſpiritu, & ſanguine ſpoliantur.* Quod laconicè, ſed egregiè teſtatur à Celſo *de re med. lib. 3. cap. 7. de feb. peſtil. pag. mihi* 48. his verbis, *minimè utile eſt aut medicamentis uti, aut alvum ducere*: propter quod præclariſſimus Paulus Barbete peſte jam laborantibus, antè decimum quartũ diem febre ſcilicet, aliiſque ſymptomatibus remiſſis, purgans medicamentum numquam exhibebat; Imò Etmulerus in *tract. de Peſte pag. mihi* 305. eamdem abſolutè negat, dicendo, *purgativum nulli ullo tempore eſt ſalutare in peſte, ſed ſemper eſt nocivum.*

Verùm innumeris aliis prætermiſſis

Auctoribus,ut plurimos uno verbo cum experientiâ complectar, poſtquam Fernel. *in lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 12. pag. mihi* 104., purgationem, & Venæ ſectionem validis argumentis negaverit, ità concludit, *Hæ rationes experientiâ confirmatę, ut à Venæ ſectione, ità à validâ purgatione docent abſtinendum*. Ità Foreſtus in peſte anni 1557., Paræus in illâ Galliæ 1510., Palmarius in illâ 1565., Diemerbroek in ſuâ Epidemiâ Noviomagenſi, & Marchinus in peſte Florent. an. 1630. & 1631., & anteà in peſte Lugduni 1628. purgationem ſemper ſummè perniciosam extitiſſe deſcribunt.

De Electivis autem purgantibus à nonnullis exhibitis vix diſſero, ea ęnim periculoſiſſima ſunt, & ut plurimùm fatalia, ut in exactiſſimis prædicti Diemerbroek Hiſtorijs cuilibet facilè innoteſcet, neque Faloppio, Auctori cœteroquin graviſſimo, quid fidendum erit, ſi ea utilia in Peſte probaſſe profiteatur. Idem planè dicendum erit de *Pilulis Coch.* à Mercuriali, & Averroe commen.

mendatis, quantum enim ob Alvi inductum profluvium exitiales extiterint, teſtatur Hiſtoria xix. à prædicto Diem. relata imò in Hiſtoria 7. à *Vino ſtibiato* ab Empiricis celebrato, & in Hiſtoria 13. ex ſolis *Pilulis Ruffi* immodicos Alvi fluxus unà cum morte productos fuiſſe deſcribit; idem planè aſſerit de *Elleboro* ab Hollerio exhibito, idem de de *Scamoneatis* à Parço, & de *Confec. Hamech.* à Marſ.Fic. à quibus omnibus omni curâ abſtinendum eſſe univerſalior Medicorum, & Recentiorum præcipuè conſenſus declarat.

Verùm de hiſce non tantùm, ſed de mitioribus etiam, imò de ipſiſmet Clyſteribus à Farnelio quamvis propoſitis aſſerendum erit, dum ab his omnibus Alvus irritari poteſt, & contrarius naturæ motus inſtitui, unde citior interitus. Et quamvis in Parte 2. Cap. 4. pag. 201. Alvum lubricam commendaverim, id in præſervatione tantùm intelligendum eſt, & nomine lubricitatis, dejectionis tantùm facilitas, non autem tanta copia, ut profluvium inducatur

catur eſt percipienda; Quare ut ſingula ſummatim redigam, omninò renuenda erit purgatio. Primò, quia peſtis cauſam, quæ in ſolo veneno conſiſtit, non evacuat. Secundò, quia humores agitando, & ad Alvum ducendo, criticas ad cutem naturæ expulſiones contrario motu pervertit. Tertiò, quia Ventris ſolutio maximè ſemperque exitialis extitit. Quartò denique, quia à celeberrimis de Peſte Scriptoribus, unà cum experientiæ auctoritate, ſemper fatalē fuiſſe fatetur.

Alvus igitur vel ſemper, vel primis ſaltem diebus in Peſte adſtricta, non leve ſalutis ſpecimen præbet, dum faciliùs per propria alexipharmaca, & ſudorifica in ſequenti deſcribenda, peſtilens venenata cauſa emendabitur, & educetur.

CAP.

CAPUT V.

De legitimâ Peſtis Curatione nempè de ejuſdem Antidotis & Sudorificis.

CUm maxima in tanti morbi Curatione Indicatio ad venenatæ cauſæ correctionem, & ejuſdem à Corde in primis obſeſſo ad externas Corporis partes tranſmiſſionem, ut ſuperiùs præmonui ſit dirigenda, neque id phlebotomiæ, aut catarticorum miniſterio obtineamus, ad aliud remedii genus, utrumque Curationis Cardinem explentis eſt deveniendum. De hoc nulla inter Auctores diſceptatio occurrit, dum ſinguli unà cum experientiæ robore ad Sudorifica ſtatim confugiunt, eaque vel Cardiaca eligendo, vel eiſdem hæc immiſcendo, ut eodem met tempore quo veneni qualitas deprimitur, vitaleſque Cordis Spiritus reſtaurantur, per univerſalem Corpo- *Sudorifica in Peſte neceſſaria.*

ris habitum ab ipſo naturæ motu, & expulſione indicatum, illa expellatur, cùm enim infidum maximè ſit ſolis Antidotis uti, eiſque deleteriam veneni cauſam infringere, dum ab eximia ejus activitate impotens quodcumque Alexipharmaci robur efficitur, hinc ſtatim ejuſdem evacuatio per diaphoreſim tentanda eſt, ne intrà Corpus diutiùs retentum, primariam vitæ ſedem præoccupet; & ſi Avicenn. auctoritas in *tom.2. lib.4. fen.1. tract. & cap.4. p.68.* à me in *part. 2. cap. 5. pag. 215.* jam relata, peſtilentium febrium Curationem mediâ Corporum exſiccatione ab evacuatione incipiendum eſſe teſtatur, de nullâ aliâ evacuationis ſpecie intelligendum erit, niſi de illa, quæ per diaphoreſim, univerſali naturæ ſublevamine obtinetur, dum in hac per Sudorifica remedia totam ſanguinis maſſam calefacientia, ſuperfluæ humiditatis exſiccatio, & evacuatio conſequitur, & quamvis phlebotomiam, & Ventris ſolutionem proponat, de febribus peſtilentibus loquitur, non autem de vera Peſte.

Quid-

Quidquid autem à nonnullis Hipp. & Gal. auctoritates referentibus opponi videtur, quòd ſcilicet humorum concoctio antè eorumdem evacuationem, expectanda ſit, nihilque movendum eſſe, niſi materia vel urgeat, vel turgeat, inſipientium potiùs nugę dicendæ ſunt, quàm Medicorum objectiones, dum eorumdemmet verba promptiſſimam per Sudorifica veneni expulſionem magis confirmant. Quo enim urgentiori tempore turgebit humor, niſi in ipſa peſte, in qua totâ liquidorum maſsâ ab Aereo introducto veneno violenter concitatâ, vitali Cordis flammâ obtenebratâ, reliquis ut ità dicam obſeſſis ſpiritibus, quacumque licet vegetâ infirmâ naturâ externas evacuationes potiùs indicante, quàm perficiente, proximus pertimetur interitus? Concoctio enim ab Hipp. commendata ad putridos, ſed pacatos humores, non autem ad peſtilentiales eſt referenda, dum iſti nullam coctionem admittunt, imò violento eorum impetu, proximum inducent excidium, quarè tunc *Non eſt expectanda concoctio.*

cele-

celebre ejuſdem Divini Senis monitum ex integro complendum erit, eâdem ſcilicet die, & horâ, infenſiſſimam Peſtis cauſam expellendo, uti in primo hujus partis capite, Sennerti auctoritate comprobavi.

Licèt autem in tali remediorum electione, plurima de neceſſe ſpectanda ſint, ut varia Sexus, Ætatis, Virium, Temperamenti, Regionum, Anni temporum, Morbi, ejuſque cauſæ, & ſymptomatum conditio, diverſam tantum veneni qualitatem examinando, utrùm ſcilicet diſſolvens ſit, utrùm coagulans, neceſſarias de reliquis leges præſcribam; pro quo notandum id ſané occurrit, quod ſicuti unà cum Hippocr. auctor. in cap. 5. part. 2. relatâ, eadem curationis remedia ſunt, ac præſervationis, hinc non mirum, ſi brevi ordine pauca, ſed ſelectiora, & longo uſu probata in ſequenti deſcribam, dum ſingula à Peſte præſervativa ſuperiùs tradita, inter Alexipharmaca ſunt referenda, & ne in eiſdem repetendis diutius immorer, quæ jam deſcripta ſunt tantum deſignabo.

Hinc

Hinc ſi venenum peſtilens diſſolvendi vi præditum agnoſcatur, & ex gravioribus, vigentibus, ſymptomatibus in primo Cap. jam deſcriptis, & præcipuè ex copioſis *colliquativis ſyncopticis ſudoribus, alvi profluviis, Narium, vel Uteri Hęmorragiis*, ſanguinis diſſolutionem percipiamus, tunc à Sudorificis abſtinendum erit, ne ab ingentiori eorumdem calore, major cruoris fuſio, ac per conſequens citior interitus conſequatur, ſed Cardiacis ſtypticis occurrendum. Inter hæc præeminet uſus *Cornu Cervi uſti* in inteſtinorum laxitate, alvique profluvio valdè proficuus, malignitatem enim non tantum oppugnat, & aculeatas, acreſque veneni particulas retundit, ſed exſiccando moderatè adſtringit, humorum fluorem imminuit, quare Horſtius, mirabilem ejuſdem aquam, unà cum Diemerbroeck extollit. Idem ſanè munus adimplent teſtacea reliqua, & fragmenta pretioſa, ut *Smaragdum* à Zacuto valdè commendatum, *Hiacyntus* à Cratone, Gal., & Ariſt., ſicuti & Zaphy-

In diſſolutione non conveniunt Sudorifica, ſed alia Antidota,

Zaphyrus ab Augenio. At quia Divitibus tantùm, & Principibus hæc convenire videantur, hinc ad alia, quibus pariter abſorbendi vis inſidet deſcribenda devenio, ut pulvis *Corallorum rubr., Marg. præp., Oculor. Cancr. præp., Bol. Armen.*, cujus præcipuè encomia ab ipſo Gal. *de ſimpl. Medic. Facult. lib.* 9. *cap. de Terra Samia, pag. m.* 66. hiſce verbis celebrantur, *porrò in magna hac Peſte, quotquot hoc Medicamen bibere, celeriter curati ſunt*, & ab Avicen. in *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 421. *de Luto Armeno pag. m.* 328. dum ait, *confert Apoſtematibus peſtilentialibus bibitum, & linitum*; Et paulò poſt ſubdit, *& plures quidem ſanati ſunt ex peſtilentia magna propter conſuetudinem bibendi ipſum in Vino ſubtili, & ſi bibitur in Febre peſtilentiæ, neceſſarium eſt ut Vinum perducat ipſum ad Cor, & miſceatur Vinum illud cum aqua Roſarum.* Quod autem in diſſolutiva contage magis conveniat, quàm in coagulante, ex ipſomet Avicen. ſatis patet, dum in eodem cap. ejuſdem qualitates

Bol. Arm. encomia

litates

litates exarando inquit. *Frigidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo, retinet ſanguinem, quoniam ejus exſiccatio eſt in ultimo.* Talis Boli Armeni mirifica vis à Fer. *de abd. rerum cauſ. lib. 2. cap. 12. pag.* 105., & ab Horſtio *in part. p. de mat. Med. lib. 7. cap. 2. pag. mihi* 210. non minùs, ac de Terra lemnia confirmatur, quæ omnia non exſiccando tantum, ſed quadam inſitâ & occultâ ſuâ proprietate peſtilens enervant venenum, quarè ſæviente, in Peſte ſanguinis diſſolutione, adſtringentes pulveres confici poterunt; ſicuti Vino, aut aqua, ſolus Bolus Armen. poterit exhiberi.

Pulvis magis conveniens eſt ſequens.

℞. *C.C. uſti unc. i., ter. ſigill. un. ſs., Bol. arm. orient. dr. iij., Corallor. rub. præp. dr. ij., Ebor. uſti ſcr. iiij., Ocul. Cancr. præp. unc. ſs., m. opt. ſimul, fiat pulv. ſubtilis, de quo cap. dr. i. ter, vel quater in die.*

Supplere pariter poterit celebris pulvis à me *in pag.* 220. jam deſcriptus, & veluti ſecretum à Foreſto celebratus, de

quo

quo unà cum experientiâ *in cit.pag.*175 ità ait, *Nos verò imperavimus Pharmacopæo noſtro, ut talem pulverem nobis pararet, quo feliciſſimè uti ſumus in hac Peſte tam ad præcautionem, quàm curationem in multorum ſalutem.*

Potiones refrigerantes. Neque idoneæ omittendæ erunt potiones, ut Ægrotantium æſtus, ſi urgebit, corrigatur: Iſtæ autem ex *radicib. Ariſtoloch., Pethaſit., Carlinæ, Dictami, Tormentil. &c.* confici poterunt; nec non ex Herbis *Scordij, Rutæ cap., Veron., Meliſſæ, Acetoſæ, Boraginis, Betonicæ*, cum *flor. Stæch., Roſ., Calend., & ſem. Citri*, alijſque Syrupis acidis, ut *Cidon., Acetoſæ, de ſucco Limon., Agreſt., de Ribes &c.*, quę pro ſymptomatum varietate cõmutari poterunt, quamvis in verâ ſanguinis diſſolutione optimus ſit uſus Aquæ ex ſola *rad. Ariſtoloch., Tormentillæ, & C.C.*, add. prædict. *Syrup. de ſucco Limon.*, vel *de Ribes.*

Species Diaſcor. Nonnulli pariter cum longiſſimo experiẽtiæ uſu *ſpecies Diaſcord. Fracaſt. ad ſcr.ſs.* bis in die exhibitas adeò cõmendant,

mendant, ut ſi *pulvis Cornu Cervi uſti* ſuperaddatur inter maxima diſſolutionis alexipharmaca deſcribunt.

Theriaca recēs

Neque minoris emolumenti in hoc caſu cenſetur uſus Theriacæ recentis, cujus mirifica vis in præd. *cap.* 5. *pag.* 225. brevi exarata innoteſcit, & inferiùs nonnihil ſuperaddam; recens enim adſtringendi, & pacandi vim habet.

Ordo & menſura antidotorum

Cavendum tamen eſt, quod quælibet alexipharmaca, neque excedenti in copia ſunt præſcribenda, quia non leviter lædent, neque in parca doſe ſint, ne inefficacia reddantur, quod à Galeno in *lib.* 5. *de ſimpl. Med. Facul. cap.* 18. *p. mihi* 36. taliter exponitur: *Ea propter propemodùm omnia, quæ deleteriis adverſantur, ſi largiùs ſumpta fuerint, graviter animantis Corpus oblædunt, quamobrem ea moderatâ quantitate exhibere oportet, ut neque copiâ nimiâ corpus offendant, neq; exiguitate ſuâ à deleterijs vincantur.* Quamvis autem in verâ peſte id tutò obſervari ſępè nequeat ob validius talis veneni prædominiũ, quod ſtatim, & ſine morâ evin-

ci

ei debet, aliquis tamen ordo in vario alexipharmacorum uſu ſervandus eſt, & ejuſdem ſemper generis non ſint, ſed variâ qualitate prædita exhibeantur, ut ab eorum diverſitate, deleteria veneni indoles tutiùs enervetur, quod fieri nequit ab uno; undè non mirum ſi Crato *epiſt.* 134. in peſtis curationis initio, ſingulis propemodũ horis, deindè ſucceſſu temporis ſingulis diebus remedia mutanda doceat, cùm vix in uno Antidoto tantum roboris ſit, quantum ad hoſtem tam potentem debellandum requiritur, juxta Senn. *in lib.4.cap.* 6. *de de feb.peſt. pag. mihi* 819. Talem igitur conſtituendum ordinem cenſeo, ut qualibet tertiâ horâ Antidotis cardiacis natura ipſa reſtauretur, & præpotentis cauſæ energia deprimatur.

Ità in diſſolventis hujus miaſmatis correctione exhibeatur primò *prædictus Pulvis* in hoc Capite deſcriptus; ſecundò *drac.ſs. Ther. rec. ad drac.j.*; tertiò alter *Pulvis Foreſti*, & in alterâ *ſpec. Diaſcord. Fracaſt.* ſubſtituantur, unde 24. horarum ſpatio ſingulæ ex his

anti-

Antidotis, unà cum intermediis prædictis refrigerantibus, & adſtringentibus potionibus, bis alternatim aſſumantur.

De Remediis in coagulante causâ. Altera Peſtis causa coagulans eſt, cujus venenata qualitas ſicuti ab univerſali totius Corporis *laſſitudine*, *gravitate*, *virium abjectione*, *Cutaneis livoribus*, *extremarum partium frigiditate*, *Macularum*, *Exanthematum*, *Bubonum*, *&c. eruptionibus*, aliiſque peſtilentibus ſymptomatibus indicatur, hinc per diſſolventia, calefacientia, & cardiaca eſt corrigenda, & per cutaneos porulos, per ampliorem ſcilicet viam, mediis diaphoreticis juxtà naturæ motum educenda.

Diaphoretica ſunt neceſſaria. Quod autem in tanti morbi Curatione ſudoris methodus aptiſſima ſit, præter jam relatum naturę inſtitutum, ſatis unà cum ratione ex Auctorum monumentis comprobatur. Et revera ſi in quocumque alio cutaneo motu, ut in Variolis, Morbillis, Maculis, Exanthematibus, aliiſq; ſimilibus, nulla aptior via ad morbificæ cauſæ eductionem

præter diaphoreſim hucuſq; innoteſcit, quia ut in antecedenti cap. de Purgatione innui, quælibet alia, vel ab oppreſsâ naturâ inſtituta evacuatio, ejuſdem motibus contraria eſt, & per conſequens cohibenda, hinc in hujuſce cauſæ prædominio, veneni activitare, ac ipsâ expellendi urgentiâ univerſalior nulla expanditur via, quàm quæ per Cutaneos porulos medio ſudore obtinetur, dum tali modo per milliares veluti glandulas tota ſanguinis maſſa à recepto Peſtis inquinamento tutiùs defæcatùr, & Cor ipſum medio ſudore, à venenata interna cauſa vindicatur, quarè eximius Diemerbroeck in *lib.* 3. *de Peſte cap.*5. *pag. m.* 258. de Alexipharmacis, quæ ſudorem promovent, ità ait, *Hæc enim ſpecificâ vi Cor à venenis tuentur, atque etiam peſtilentis labis vires infringunt, obtundunt, atque foras expellunt.* Quod pariter à Thoma Willis in *lib. de febr. cap.*13. *de Peſte, pag. m.* 65. confirmatur, imò in coagulante causâ convenire clariùs declarat dicens, *Hæc autem præſtant dia-*

phore-

phoretica, quę nullo non tempore, quoad vires ſufferre valent, à Peſte indicantur; hæc enim pleniùs, & à toto ſimul Corpore evacuant, quin & ſanguinem exagitando à coagulatione vindicant, & cum à centro uſque ad circumferentiam movent, fermenta venenata procul è Corde arcent, & hoſtem extrà Caſtra propellunt, quod per alium evacuationis genus obtineri ſanè nequit, dum certiùs minatur periculum ob peſtilentis cauſæ retroceſſum, & earumdem Principum partium oppreſſionem, quæ manifeſtè ex ipſis retrogreſſis Variolis, aut Morbillis, unà cum fatali Ægrotantium exitio intuetur, unde Fernelius in toties citato loco Antidotorum genera, quæ in Peſtis curatione neceſſaria ſunt, hiſce verbis deſcribit, *ſint quæ totius ſubſtantię proprietate huius veneni vires aut obterant, aut hæbetent, aut ſudore exterminent*. Ità Foreſtus pluribus in locis, & præcipuè in *obſerv.* 17. *& ſequ.* ſudorifica non tantùm commendat, ſed eadem medio ſuo pulvere promovebat, ſicuti & Mercatus *in l.* 7.

de febr. peſt. pag. 593., nec non Sennertus *lib.4. de Curat. peſtis cap.6. pag. m.* 819., qui diaphoreſim adeò neceſſariam exiſtimat, ut in iiſdem inſiſtendum, neque modico ſudori fidendum taliter ſuadet, *Neque ſibi quiſque perſuadeat, ſi ſemel, vel bis ſudaverit, & meliùs non nihil habeat, ſe jam extrà omne periculum conſtitutum eſſe, cùm venenũ iterum, ſi minimæ ejus reliquię in Corpore hæreant, vires poſtmodum ſumat, novumque naturæ bellum inferat, itaque neceſſarium eſt Alexipharmaca, & Sudorifera talia intrà biduum, quinquies, vel ſexies repetere, quòd cùm ſæpè negligatur, plurimi qui ſervari poſſent, intereunt.* Etmulerus *in tract. de peſte. pag.* 305. curationis initium hiſce verbis inſtituit, *Totius Curationis cardo conſiſtit in eo, ut miaſma venenoſum in maſſam ſanguinis receptum patenti Sudorifico foras excludatur.* Quod eiſdem planè verbis confirmat Sylvius Deleboé *pag.*499., ità Riverius *cap. de Febr. peſtil. pag.* 338. ait, *in verâ peſte diaphoretica ab ipſo*

morbi

morbi initio uſurpanda ſunt, ut venenata qualitas, brevi homines jugulatura, citò, & potenter oppugnetur. Noviſſimi denique de Peſte Scriptores, Sydenham, & Diemerbroeck in ſuis Hiſtoriis adeò ſudorifica commendant, ut maximum veluti Curationis cardinem extollant.

Inter hæc cardiaca diaphoretica primarium obtinet locum *Lapis Bezoarticus*, qui licét à nonnullis, & præcipuè à Minderero, & Diemerbroeck impotens ad peſtilentem corrigendam cauſam cenſeatur, prout hæc non ab humorum corruptelâ, aut alio veneni genere, pro quo ipſum admittunt, ſed ab Aereo inquinato miaſmate, quòd ab illo enervari poſſe negant, dependet; à plurimis autem aliis, unà cum experientia quàm maximè celebratur, ſic Zacutus *in ſua praxi admir.* Fœminæ contagioſo, & maligniſſimo morbo laboranti quàm maximè profuiſſe teſtatur. Ità Horſtius *p. 1. de re Medica lib. 8. cap. 22. pag. m. 224.* in peſte perutilem eſſe deſcribit. Mercurialis de

Bezoarticus lapis optimus eſt.

eodem differens, *in pag.*654. ità ait, *bujuſmodi pulverem ego commẽdo, quia multa experientia atteſtatur ejus facultatem*, ità Riverius *in lib.* 17. *de febr. peſt. cap.* 9. *pag.*337. hujus lapidis uſum pariter præſcribit, ſed rariſſimum eſſe, ac per conſequens facillimè adulterari, taleſque non producere effectus fatetur; ità Auguſtinus Bucci Taurinenſis Doctor, & de Peſte Scriptor, eumdem mirum in modum commendat, ejuſque optima ſigna prolixè refert unà cum Monardi Hiſpanici Medici auctoritate, qui ait, *in peſtilentia maximè Bezoartici lapidis vis innoteſcit, nam in Germaniæ Peſte ferè ſinguli bujus remedii beneficio ſanabantur, & è contrà qui eodem uſi non fuere, perierunt*; Nec alia eruitur ratio, niſi quod veneni malignitate depreſsâ, eamdem ab intrò ad extrà expellit, undè non mirum ſi ex Ficinio *cap.*22. (ut refert Hiacyntus de Alpherio *lib.*2. *de febr. peſtil. cap.*26. *pag. m.* 322.) taliter ejuſdem efficacia collaudatur; ut ſive ſuprà Carnem nudam geſtetur

tur, & præcipuè Cordis Regionem tangat, ſivè intus ſumatur, & à peſte, & à veneno tuetur. Hoc tamen cum Zacuto ſuperiùs *citato loco* obſervandum reor, quod congruâ doſi exhibendus eſt, ut neceſſarium edat effectum, nam ſi in nimis exiguâ doſi adhibeatur, certè inefficax erit, quarè uſque ad *ſcrup. ij.* bis in die præſcribi poterit, vel in *aquâ ex toto Citro*, vel *Scorzon.*, vel *Cardui bened.*, *Papav. rhead.*, vel *ex C.C.*, quæ omnes tepidæ exhibendæ ſunt, ut ad ſudores promovendos coadjuvent.

Verùm quoniam vel nimis pretioſus, vel rarus, vel infidus, quia aliquando artificialis eſt *lapis Bezoar*, hinc eidem facilè ſubſtitui poterunt *pulv. rad. Contrahier. Hiſp.*, vel *ejuſdem paſta*, vel *C.C. philoſ. præp.*, vel *ſal. Card. bened.*, *ſal. Viperar.*, aut ejuſdem pulvis, vel in juſculo, aut cum prædictis aquis ſudorificis aſſumptus, ſicuti ſequens parari poterit. *Alia Sudorifica.*

℞. C. C. *philoſoph. pręp. dr. i.*, *pulv. oculor. Cancr. præp. ſcrup. iiij.*, *Marg.*

præp., oſſ. de Corde Cervi, lap. Bezoar. ell. an. ſcr. ij., m. fiat pulv., de quo cap. ſcrup. ij. pro doſi ter, vel quater in die.

Foreſtus nullum aliud Sudorifici genus præſcribit, quàm ſuum pulverem in *pag.* 220. jam deſcriptum. Sicuti Diemerbroeck ſuam Aquam Theriacalem *pag.* 224. exaratam. Ab aliis autem alia commendantur Sudorifica, & Alexipharmaca, ut ſequens.

℞. *Extr. Card. bened., Ruth. a. ſc. ſs. ſal. Scord. ſcrup. j. ſs., Ther. ellect., & Diaſcord. Fracaſt. a. ſcru. j. ſs., diſſolvantur cum aq. Ther., vel Aceto Bezoart. unc. i., cap.*

Vel

℞. *Flor. Sulph., C. C. philoſ. præp., pulv. lap. Bezoart. Orient., Contrabier. an. ſcrup. ſs., Croci gra. iiij., miſc. fiat pulvis pro una doſi, repetendâ quater in die, ſuperbib. unc. ſex alicujus aquæ ſudor. ſupraſcrip., vel unc. ii. aq. ther.*

Nonnulli in hoc conveniunt, quod à ſola *drac. Ther., cum ſcr. ſs. ol. Junip* diaphoreſis facilè promovebitur.

Su.

Sudorifica pro Pauperibus.

℞. Cępam alb. excavatam, & ſcr. iiij. Ther. ell. repletam, ac in cartâ bibulâ, Aceto madidâ involutam, ſub cineribus calidis coquatur, inde fortiter exprimatur, cujus ſuccus mixtus cum unc. j. Aceti ſimpl. cap.

Proderunt pro eiſdem *pulv. rad. Angelicæ ad drac. j. in unc. vi.* ejuſd. aquę exhibitus, & ſextâ qualibet horâ repetitus, ſicuti *pulvis Baccarum Hederæ*, præcipuè ſi ad Aquilonem colligantur, & tunc maximè ſi ex dictis Baccis fiat aqua.

Sufficiet pariter ſi *Alliorum capita in Aceto forti, aut Vino generoſo* contuſa bibantur, vel ſi *ſuccus Cæpar. alb. ad unc. ij., cum unc. iiij. aq. Card. bened.* ſumatur, aut ſi decoctiones *fol. & baccar. Junip. ad unc. vj. cum dr. j. Ther.* hauriantur.

Foreſtus nil aliud pro Pauperibus pręſcripſiſſe docet, niſi *Acetum forte* cum pauco ſale communi, ex quo copioſior ſudor promovebatur.

Denique

Deniq; plurimi, plura alia Diaphoretica celebrant, & præcipuè *ſalia Card. bened.*, *Scord.*, *Rutæ*, *& Fraxini an. gr. xj. ad xx. in aq. Scorzon.*, *vel Scab.* exhibita, &c.

Hæc, inter innumera Diaphoreticorum genera, pauca, ſed experientiâ jam comprobata ſelegi, nihilque de compoſitis ex *Antimonio*, *Mercurio*, & ſimilibus à Willis in *Tract. de Peſte cap.* 13. *pag. m.* 65. tam celebratis, diſſero, dum tanti Viri pace, abſonum eſt, ea in peſtis curatione, ad veneni extinctionem adminiſtrare, dum in ſe venenatam indolem, & à naturâ omnimodè alienam præſeferunt, multòque minùs ejuſdem ratio arridere videtur, quamvis enim à nativo calore ſubigi nequeãt, contrà peſtilens virus minùs agent, imò potiùs inſitâ ipſis venenatâ qualitate, ejuſdem energiam adaugebunt; abſurdum etenim eſt (ut Diemerbroeck verbis utar) venenato pharmaco à peſtilenti labe Cor tueri; ipſumque duplici fortiſſimorum Hoſtium tyrannidi, eodem tempore exponere.

Sin

Sin autem quolibet licèt validiſſimo irrito Diaphoretico, vel non appareat ſudor, vel copioſus non ſit, lateribus accenſis, linteis Aceto madidis involutis, pedibuſque appoſitis eſt promovendus. Cavendum tamen, eſt ne immodicus ſit, atq; excedens, undè vires nimis concidant, Corpuſque exolvatur, ideò moderatus ſit, nec viribus impar. In ſudoris autem decurſu reſtaurandus eſt Æger tùm *Conſerv. Roſ.*, *Syrup. Granat.*, *aquis Cordialibus*, odoramentis Naribus, & à ſomno abſtinendum, ne venenum per hunc ad interiora ſe trudat, partem principem occupet, Ægrumque perdat. Magis pariter reficiendi ſunt *Cardiacis*, Juſculiſque roborantibus, ne à ſudoris copiâ vires faciliùs enerventur. Præcavendum tamen erit, ne cibis opprimatur natura, undę partitis vicibus erunt exhibendi. Denique toto ſudoris decurſu ab omni ambientis impetu cuſtodiendi ſunt Ægri, ne venenum retrocedat. Non autem à ſudoris quantitate, ſed à ſymptomatum remiſſione ſublevamen, ac devictum ve-

Cautelæ in ſudorem.

nenum arguendum erit, ut ſuperiùs Sennerti auctoritate comprobavi, & interim numquam omittantur ea præſidia, quæ malignitatem oppugnant, Viſcerumque ardorem compeſcunt, ut decoctiones *Acetoſæ*, *Scorzon.*, *C. C. cum guttis x. ſpir. Vitriol.* ad putredini reſiſtendum aptiſſimi, ſicuti & alij Syrupi acidi; ſed in pauca doſi exhibeantur, ne ſudores cohibere valeant.

A Sudorificis, quæ Antidoti pariter vim continent, ad alia Alexipharmaca devenio, & inter hæc primum obtinet locum *Theriaca*, & *Mitridatium* quorum efficaciam a Gal., Aetio, Actuario, alijſque unà cum experientia commendatam ſatis in ſecunda parte de prçſerv. cap. 5. pag. 225. explicui. Sæpiſſimè enim reliquis fruſtraneis Antidotis Theriaca perutilis eſt, dùm veluti ignis aeris inſpirati malignitatem depurat; undè nil mirum ſi à Maſſaria in *tract.* 1 *lib. 2. de Peſte pag. mihi* 516. ejus Elogia paucis complectantur his verbis: *Theriaca, & Mitridatium alia Antidota ſuperant in Peſte, nàm peſtilentem*

tem omnem fomitem, & diſpoſitionem tamquàm ignis abſumunt, & extinguunt. His præcipuè, & frequenter uti debent Pauperes in *Aceto*, vel *Rutæ Succo diſſolutis*, nec non pariter Syrupis acidis, ut *Cidon.*, *Acet.*, *de ſucco Citri, Limon.*, & ſimilibus idoneis ſemper, ac proficuis; Sin autem tantæ energiæ ſæpè non experiantur Theriacam, non ad aliud, quàm (ſecundùm Maſſariam) ad Pharmacopæorum avaritiam, vel inſcitiam eſt referendum. Frequens igitur alternatim in die ſit ejuſdem uſus, & *Mitridatij*, ſed non excedens, præcipuè in biliosis, fervidiſq; temperamentis, æſtivo tempore, aut ſi Peſtis concomitata ſit febre, tunc enim non ſola exhibenda erit, ſed refrigerantibus Conſervis *Roſar.*, *Violar.*, temperanda. Nequè minùs cavendum eſt, ſi deliria, vel ſummus capitis dolor, vomitus, aut cardialgiæ Peſtem concomitentur, & tunc Theriaca recens præferenda eſt, in quâ cùm Opij vis vegeta ſit, ſymptomata tutiùs moderātur, cùm à nonnullis ad peſtilentis

Cautelæ in uſu Theriacæ.

veneni

veneni activitatem cohibendam, ut alexipharmacis citiùs oppugari poſſit, ad narcotica deveniunt, ut *gr. ii. laud. Opiat.*, vel *gr. vi.*, aut *viii. pilular. de Cinogloſ.*, in quorum tamen uſu cautè procedendum, ne a nimio narcoticorum exceſſu, unà cum peſtilentis miaſmatis activitate, Ægrotantium ſpiritus extinguantur.

Aqua theriacal. Nequè minoris efficaciæ eſt *aqua ther. frig.*, vel illa ex Diemerbroeck, cujus deſcriptio in pag. 224. relata fuit, quarum uſus a ſingulis unà cum qualibet antidoto ab *unc. i.* ad *ii.* collaudatur; nec non proficuæ ſunt aquę ab Hartmano *in pag. mihi* 458., & 474. contrà Peſtem deſcriptæ, quas hìc recenſere nimis prolixum foret.

Cãphora Plurimi *Camphoram* laudant, dùm putredini reſiſtit, & venenatos halitus reſolvit, illamque ad *gr. x.* cum dicta Aqua Theriacali præſcribunt, vel in alijs pulveribus mixtam, imò efficitur *Spiritus camphoratus* in ipſa aqua, ut docet Hartmanus in *pract. Chim. p.* 364., & mirabilem in Peſte 1611., &

1622. extitiſſe fatetur. Sed ab ea cavendum eſt, quibus infirmus eſt Ventriculus, & Caput imbecille, dùm eiſdem nocua eſſe poteſt.

Alij *lac Sulphuris* ad *dr. ſſ.* cum *dr. i. ther.* exhibent, illudque maximum fatentur, & præcipuè Petrus a Caſtro, qui in Romana Peſte anni 1656., uſque ad *dr. ii.* in *unc. ii.*, vel *tribus Aceti*, aut *Aquæ theriacalis* valdè profuiſſe teſtatur. *Sulphur*

Alij *Ol. vitriol.* cum mixturis, aut Syrupis acidis mixtum admittunt, & præcipuè Mercurialis, Heurnius, & Mindererus, prout ab eodem putredinem omnem, ac peſtilentem infectionem devinci deſcribunt, quamvis ſummoperè ab ejuſdem uſu cavendum eſt in Emophtoicis, Phtyſicis, Aſthmaticis, alijſque Pectoris, vel Renum, aut Veſicæ affectibus obnoxijs. *Ol. vitriol.*

Præter Elixir Propr. Paracel. in *pag.* 217. pro præſervatione ſummè commendatum, nequè in curatione contemnendum, mirabile quoquè cenſetur *Elixir Antipeſtilentiale Crollij* a Diemer- *Elixir propr. Paracelſi, & aliud ex Crollio.*

merbroeck. *in p.* 274. deſcriptum, & a Sennerto miris laudibus, non minùs, ac Elect. Ferdinandi Imperatoris *in p.* 818. celebratum, illudque a *ſcru. i.* ad *dr. ſſ.* vel *ſcr. ii.* pro Ætatum varietate prçſcribit, &ut plurimùm tantùm exhibetur, cùm peſtilens univerſalis cauſa in coagulo conſtituitur.

Hæc ſanè præcipua ſunt, quæ pro univerſali Peſtis curatione breviter innuenda duxi, Benevole Lector, non quod hæc unica ſint, dùm innumera penè dixerim a ſingulis, & prçcipuè a Sennerto in ſuo faſciculo remediorum, a Zacuto, & Recentioribus eximijs deſcripta ſunt, ſed quòd hçc alijs in Peſtibus valdè proficua extiterunt. Perpauca ſunt, ſed ſelectiora, dùm intèr hçc Pulveres cordiales, Confectiones, Mixturç, Aquç theriacales, & nonnulla alia non minoris efficaciç reperiuntur, intèr quç externa antipeſtilentialia prçſidia ſuperiùs in prçſervatione deſcripta, non ſolùm non inutilia pro curatione ſunt, ſed valdè neceſſaria opinor, quarè Inunctiones, Epythematæ, Sacculi, Cubicu-

lorum

lorum ſuffumigia, quę hìc brevitatis gratiâ non repetuntur, erunt adhibenda, dùm quę longinquam arcere valent Peſtilentiam, eamdem pręſentem pariter oppugnabunt.

CAPUT VI.

De Peſtis Symptomatum, & primò Antracum Curatione.

A Generali Peſtis Curatione, ejuſdem ſcilicet per Alexipharmaca, extinctione, per ſudorifica verò evacuatione, reliquum eſt ut ad particularem peſtilentium Symptomatum mitigationem, & pręſcribendam curationis methodum deveniam, eamquè ab ipſis Carbunculis, prout à frequentioribus, ac gravioribus ejuſdem ſymptomatibus aggredior.

Hùc maximè in primis referendum eſt quidquid ſuperiùs in prima par. cap. 5. pag. 133. de eorumdem præcipuè cauſis fuſiùs exaravi, & præſertim quòd

inter Ulcerum genera à Gal. deſcribuntur, quòd ab ipſorum mordaci, & exurente proprietate *Pruna*, vel *Ignis Perſicus* ab Avic. denominantur, quòd pro Partium, in quibus apparent diverſitate, majus, vel minus periculum minantur, quamvis ut plurimùm læthales videantur, prçcipuè ſi vel in nervosâ parte, digitis, emunctorijs, Thorace, Collo, aut internis faucium partibus ſuffocationem cum inflammatione producentibus, ut in pag. 134. unà cum Foreſti auctoritate expoſui, ità ſi ſerò, vel in nimiâ copiâ majorem veneni quãtitatem indicante erumpant, ſi abſq; febris, aliorumque peſtis ſymptomatum mitigatione albeſcant, & deniq; ſi vix educti retrocedant, ſingulis enim hiſce temporibus, aut variâ eruptionum qualitate, certiſſimum, proximumque vitę exitium efficiunt, & ſi nigricantes ſint & duri, Ægros citiùs interimunt, & maximè ſi cum dyſenteriâ cõjungantur. In genere autem deteriores ſunt quàm Bubones, ac per conſequens difficilior eorumdem curatio.

Phle-

Phlebotomia quamquam à Gal. *lib.* 14. *meth. cap.*10. *pag. m.* 88., ab Oribaſio *lib.*3. *de morb. curat. cap.*27. *pag. m.* 628., ab Actuario *lib.*4. *de meth. Med. cap.*16. *pag. mihi* 245., à Paulo Æginetâ *in lib.*4. *de re Med. cap.*25. *pag. m.* 514. ab Avicen. *tom.*2. *lib.*4. *fen.*3. *tract.*1. *cap.*10. *pag.*111. aliiſque nonnullis etiam ex Neotericis in Carbunculi Curatione non ſolùm admittatur, ſed uſque ad Animi deliquium præſcribatur, cum univerſaliori tamen Recentiorum conſenſu etiam rejicitur; ideò enim prædicti Auctores Venæ ſectionem conſulebant, prout à nimis retorrido, & effervеſcente ſanguine eoſdem produci opinabantur, quare diſtinguendum erit, vel enim abſque ulla Peſtis ſuſpicione erumpunt, quòd licet rariſſimum ſit, cõtingere tamen poterit, ut in pag. 136. jam oſtendi, & tunc Venæ ſectio ratione inflammationis indicabitur, quòd tamen de peſtilenti tempore dicendum non eſt, tunc enim ab eodem veneni infenſo fonte producuntur, à quo efficitur peſtis, cujus *Venæ ſectio negatur.*

vulgaria ſymptomata ſunt, ac indicia, undè ſi in Peſtis curatione phlebotomiam & ratio, & auctoritas, & experientia omnimodè negat, ut in *cap.2. pag.*256. clariùs innotuit, idem pariter de Antracibus concludendum cenſeo, dum eaſdem cauſarum , & veneni qualitates in ſe continent, imò ſi à natura ab ipſo , per eorumdem expulſionem ſe exonerante, tamquam ab intrò ad extrà propellantur, per hoc etiam omnem Venæ ſectionem contraindicari fatendum eſt, ne naturæ vires talia eruptionum genera tentantis per eamdem enerventur, malignique peſtilentes humores ad intrò repellantur.

Idem planè de purgatione dicendum eſt, dum quidquid de eâdem *in cap.*4. diſſerui, & pro negativâ ſententiâ relatum eſt, in ipſa Carbunculorum curatione repetendum, dum hi quemadmodum communiſſimam cum peſte cauſam, eſſentiam, ac malignitatem habènt, hinc eiſdem pariter rationibus omnem purgationem excludunt, ut ſentit etiam Barbete *in cap.*12. *pag.*

mihi

m. 127., ubi non minùs Venæ ſectionem renuit, ac purgationem, & cliſteribus tantùm, ſi neceſſitas urgeat, utendum eſſe profitetur; imò evidens eſt Schenckij auctoritas in antecedenti capite relata, ex qua tam in Bubonibus, ac Carbunculis omnis tùm phlebotomiæ, tùm purgationis evacuatio prohibetur.

Tutior ergò Curationis Cardo ille ſanè cenſetur, quòd interna numquam omittantur Antidota, ac diaphoretica, ut maligna venenata cauſa, non intermiſſo eorumdem robore, & deprimatur, & per ſudorem educatur. Ad eorumdem poſteà ſcarificationem, uſque ad ſymptomatum remiſſionem repetendam, deveniendum eſt, ut venenatę materiæ portio, quæ per ipſos ad cutem defertur, citiùs educatur, neque ejuſdem concoctio expectanda, quia prout toto genere præter naturam, ideò incoctilis eſt nuncupanda. Notandum tamen eſt quod ſcarificatio non ſolùm ſupra Antraces fieri debet, ſed in ipſiſmet adjacentibus, & proximioribus *Scarificatio neceſſaria.*

 eo-

eorumdem partibus, tàm ut patentior ad veneni expulſionem aperiatur exitus, quàm ne ad eaſdem propagetur.

Alii illos candenti ferro, vel aquâ forti, ne magis dilatentur, circumdant, & ut venenum abſumant, ac malignitatem coerceant, quamvis cavendum ſit, ne aridiori inductâ cruſtâ, maligni humoris exhalatio, & tranſpiratio impediatur, unde plus damni, quàm utilitatis emergat.

Hoc autem pariter in eorumdem ſcarificatione premonendum eſt, quòd profunda hæc in Antracibus ſit, levis autem in vicinis partibus, nec violenter eorumdem radices evellantur, quare nec veſicantia, neque acerrima alia remediorum genera poſt ſcarificationem apponi debent; Tunc enim ob doloris violentiam major humorum excandeſcentia cum vigiliis, aliiſque deterioribus ſymptomatibus produci poſſunt, & per conſequens majus detrimentum referetur, ut mirabiliter inter innumeros docet Maſſaria *tract.2. de peſte pag.m.*533., ubi pariter eorumdem

dem materiam violenter ad cutem trahendam non eſſe fatetur.

Taliter ſcarificatâ parte, ſequenti lavacro abluenda erit.

℞. *Aceti opt. lib.j., ſal. Amon., vel com. unc, ſs., fol. Scord. ſiccat. dr.iij., bull. parùm, colat. add. Ther. opt. unc. j., ung. Ægyptiac, unc. ſs., m. utatur ut ſuprà.*

Poſt lavacrum muniatur pars ſeq. digeſtivo, quod ſuprà Carbunculum ſtatim applicetur.

℞. *Ungu. Baſilic. unc.iiij., Butiri recent. unc.ij., Ther. unc. ſs. Vitriol. alb. opt. pulver., & præcipit. rubr. a. dr. i. ſs., miſce f. ungu.*

Ut autem Carbunculus cohibeatur, ac in vicinas partes non extendatur, imò citiſſimè ab iiſdem ſeparetur, optimum, ſed acerrimum remedium illud eſt, quod in peſte Ultrajecti anno 1655. cum ineffabili Ægrotantium levamine comprobatum fuit, *Oleum* ſcilicet, ſeù *Butyrum Antimonij* à Schrodero in *ſuâ Pharmacopeâ Medico-Chimicâ lib.3. cap.15.*, & à Diemerbroeck *pag.347.*

 deſcri-

deſcriptum, hoc enim exterior non ſolum circumferentia, ſed ipſimet Carbunculi plumâ univerſaliter liniuntur, indè anodinis emplaſtris, ſequenti, vel conſimili formâ parandis, cura ipſa perficietur.

℞. *Farin. Fabar., Lupin., Cicer., & Lent., a. unc. j ſs., pulv. flor. Camam., Melilot., & Anhet. a. unc. j. ſem. Lini, & Fenugr. a. unc. ſs., herbar. Scord., & Conſol. mai. ſiccat. a. unc. j. coqu. in ſ. q. Vini auſt., cui add. Mel. com. unc. iij., Oximel. ſimpl. unc. ij., Ther. recent. unc. j., vitell. Ovor. n. ij. coqu. iterum ad formam emplaſtr. add. in ſine Camph. dr. ij., & applicetur.*

Alia Emplaſtri forma.

℞. *Rad. Conſol. mai. ſiccat., & herbar. Scordij ſiccat. an. dr. ij., rad. Alth. ſiccæ, Farin. ſem. Lini, & Tritici benè cribrati a. unc. ſs. f. pulv. ſubtilis., & cum ſ. q. aq. com. bull., donec ad viſcidiorem formam devenerit, indè add. mel., Therebinth., & ungu. Apoſt. a. dr. iij., Picis liqu., & ungu. Baſilic.*

a.

a. dr.ij., vitel. Ovor. n.j. Crociſcr.j., Ther. venet. dr. ij., m. impon. ſuprà Carbunculum.

Notandum tamen eſt quod ſicuti ſcarificatio ex hucuſque dictis, non ſolùm in ipſo Antrace, ſed in ejuſdem adjacentibus, & proximioribus partibus inſtitui debet, hinc Cataplaſma pariter ſuper reliquas ſcarificatas partes univerſaliter apponendum erit; contrà verò in ipſo tantum Antrace prædictis digeſtivis utendum.

Talem pulticulæ formam adeò eximiam celebrat Diemerbroek, ut nil inveniſſe teſtatur, quod pro eorumdem ſeparatione, & curatione meliùs proficeret, ſed ſæpiùs in diem renovetur.

Prædicto digeſtivo unguento ab aliis Emplaſtrum ex fuligine Camini ſubſtituitur, de quo duplex deſcriptio, una ex Barbete, alia ex Sennerto in *lib.4. de febribus cap.6., pag. m. 821.* hìc recenſetur.

Emplaſtrum Barbete.

℞. *Ther. venet., Mitrid. opt. a. unc.ſs. ferment., Terebinth. a. unc.ij., Mel.*

Mel. roſ. unc. j. ſs., Butiri rec. unc. ij., Vitriol. alb. unc. j., Fulig. camin. unc. ij. ſs., Sapon. nigr. unc. iij., m. f. Emplaſtrum.

Aliud ex Sennerto.

℞. *Fulig. camin. dr. x., ferment., Terebinth., Butir. a. unc. j., Sapon. Venet. unc. i. ſs., Mel. roſar. dr. vj., ſal. com. unc. ſs., vitell. Ovor. n. ij., Ther., Mitrid. a. dr. ij., m. utatur ut dictum.*

Pro Pauperibus.

Paræus *Emplaſtrum ex unc. iiij. fulig. camin., unc. ij. ſal. com., & ij. vitel. Ovor* præſcribit.

Hiſce, aliiſque exterioribus adminiſtratis remediis, cruſta decidere debet, & obliniri poterit vel Butiro, & Saccharo, aliovè emollienti præſidio.

Vividiori tandem apparente Carne, ad Carbunculi perficiēdam curationem ſequenti utendum erit linimento.

℞. *Ungu. Tuſſ., exſiccat. rubri, minij, & Ceruſ. a. unc. j., pulv. ocul. Cancr. præp. dr. j., pulv. Coral. rubr. præp. dr. ſs., m. ſ. a. f. linimentum.*

Sup-

Supplere pariter poterit ipſum *Unguentum de minio*, vel *Unguentum aureum*, pars autem Vino tepido, in quo Theriaca diſſoluta fuerit, ſemper mundetur.

Notandum ultimò eſt, quòd non niſi expletis quadraginta diebus ad cicatrizantia eſt deveniendum, & tunc quoque proficient *pulveres Thuris*, *Maſtic.*, *Mirrhæ*, *Aloes*, vel cum *melle roſat.* mixti ad unguenti formam; & in fine Curationis *Ceratum diapal.* ſuperaddatur.

CAPUT VII.

De Bubonum Curatione.

Boni, vel mali Bubonis ſigna.

PRæter Carbunculos aliud evacuationum genus per propria emunctoria à validiori naturâ, à peſtilenti veneno ſeſe vindicante, *Bubonum* ſub nomine inſtituitur, de quorum cauſis, indole, & eruptionis qualitate, licèt in primâ Parte cap. 5., pag. 139. jam diſſeruerim, hoc tamen nunc ſuperaddendum opinor, quod eorumdem expulſio minùs periculoſa cenſenda eſt, quàm Antracum, quia naturæ magis familiaris, præcipuè ſi ſudoris tempore erumpant, dum ejuſdem robur peſtilentis veneni reliquias expurgantis ſubindicant; Ità quò citiùs apparent, ſenſim ſinè ſenſu adaucti, in principio duriores, & abſque febre, aut manifeſtâ Facultatum lęſione, tutiorem Salutis ſpem pollicentur, undè Sydenham de peſte annorum 1665., 1666. *p.* 127.

ait,

ait, *è contra verò multi, quibus laudabili ritu tumores eruperunt, etiam dum negotiis ſuis intenti verſarentur, nec illius ſivè Vitalis, ſivè Naturalis, ſivè denique Animalis facultatis læſione perceptâ, ſanitatem brevi recuperarunt.* Contrà ſi brevi horarum ſpatio, præcipuè retrò aures, aut ſub axillis in mollem adaugeantur, & molliores ventoſi ſcilicet tumoris ſub formâ, aut cum febre, aut poſt ingentem febrem ſuperveniant, nec non lividi, aut nigricantes ſint, aut retrocedant, exitiales ut plurimum ſunt, & proximum vitæ excidium indicabunt, niſi per aliud evacuationis genus expellatur materia. Periculoſi pariter ſunt, ſi vel in ſudoris decurſu, vel poſt ſudorem intrò remeant, & ratio præter experientiam ab ipſo Sydenham in *pag. m.* 132. petenda eſt, dum intrà ſanguinis maſſam iterùm receptus hoſtis, adeò furibundè agit, ut Ægrotos tandem interimat, & pro glandularum, in quas erumpunt, diverſitate, ut retrò aures, ſub axillis, aut in Inguine, partis affectæ varietatẽ

demon-

demonſtrant,ut mirabiliter fatetur Hip. *in lib.6. Epid., ſect.2., text.10., pag. m.* 1168. his verbis, *abſceſſus veluti glandularum tumores eorum quidem locorum, undè propagines ducunt, atque etiam aliorum ſpecimen exhibent, ac præcipuè viſcerum; & tunc certè ij maligni ſunt.*

Utrùm conveniat Venæ ſectio, aut purgatio.

Utrùm autem in horum curatione Vena ſecanda ſit, vel purgantibus utendum; ex relatis in antecedenti cap. in Carbunculorum curatione negativis argumentis, evidens eſt, quòd ſicuti Bubones, non minùs ac Antraces, prout Peſtis ſymptomata ſunt, hinc malignam ejuſdem qualitatem præſeferendo, utrũque remedii genus omninò excludunt, vires enim à ſanguine miſso magis infirmantur, & purganti Medicamento à critico tali motu averti ſolet, & ad internas Corporis partes repellitur humor; Quare cum Sennerto brevi concludendum eſt, phlebotomiam omnimodè in eorumdem curatione contraindicari, niſi ſumma cruoris redundantia, vegeta ætatis, viriumque conſtitu-

tio,

tio, & ingens febris violentia eamdem quoquò modo ſubindicent; & tunc in ipſo ſolò morbi primo initio; & moderata inſtitui poterit, præcipuè ſi natura à cruoris oppreſſione ſublevanda ſit; & ad perfectam eorumdem expulſionem adjuvanda; undè tunc ſi Bubo retrò aures, aut ſub axillis erumpat, ex Brachio mittendus erit, ex Pede verò ſi in Inguine appareat.

Purgatio è contrà excluditur, & pręter hucuſque jam relata, per hoc maximè, quòd vel materia per Bubonem totaliter nondum expulſa eſt, & tunc contrarius naturæ motus per purgationem non eſt inducendus, Vel ipſa à totâ ſanguinis maſsâ ſejuncta eſt; ac per tumorem jam propulſa, & tunc intrà ipſam per violentam ejuſdem agitationem repellenda non eſt, nec à circumferentia ad centrum revocanda.

Triplex igitur Bubonum curationis methodus inſtitui ſolet; alia quæ per Derivationem fit, cùm ſcilicet medio Veſſicante ſub Bubone affixo præcipua peſtilentis humoris portio, quæ ad ipſum

Quotuplex ſit Bubonum cura.

ſum à naturâ tranſmittitur, per aliam, & proximiorem viam evacuatur: Secunda per revulſionem efficitur, cùm videlicet ab aliâ,& à Corde lõgiori apertâ viâ, ne copioſior ad Bubones affluat humor, revulſivus inducitur motus: vel denique per Emollientia eorumdem ſuppuratio tentatur. Hæc ultima univerſalior, & præcipuè Neotericorum methodus eſt, quia tutior, dum ipſa derivatio, & revulſio ſicuti per novum inflictum vulnus perficitur, hinc nimis doloroſa, nec opportuna cenſetur, dum nullam prorſus ſublevaminis ſpem, ſed detrimentum tantùm inducit; Imò id ſanè timendum pariter occurrit, ne à nimiâ doloris intenſione jam excluſa venenata materia intrò remeet, & retrocedat, quare nil mirum ſi in Peſte anni 1630. Mutinæ immaniter ſæviente, Bubones profundè non aperiendi, univerſali experientiæ ſuffragio editum fuit Decretum, undè Maſſaria *in lib.*2. *de peſte pag. m.* 534. circà finem ait, *ità aliorum propè ſententiam universè probare nequeo, ut protinus*

&

& nullo adhibito judicio ſcarificationibus, Hirudinibus, Igne, & quocumque violento modo violentum hunc motum juvare velint, quando hujuſmodi præſidia ſine ullo emolumento, & præter naturæ inſtitutum adhibentur, miſerèque Ægros torquent, & affligunt. Benignè igitur talis humorum materia tractanda eſt, totumque opus naturæ committendum, eam ſcilicet fovendo, & adjuvando, ut prædictus Auctor in *ſequenti pag.* profitetur.

Hinc ſi maxima veneni portio ad Bubonem adeò tranſmiſſa ſit, ut ſingulas Criticæ expulſionis leges adimpleat, neque rebellis humor videatur, quod facillimè ex ſymptomatum remiſſione dignoſcetur, tunc quocumque acriori, & attractivo omiſſo præſidio, ad Bubonis maturationem faciliùs promovendam idoneis Emplaſtris eſt incūbendum, quorum forma quamvis à Chirurgorum præſtantiâ diverſimodè præſcribi poſſit, ſequentem tamen non incongruam cenſeo. *Vera Curationis methodus.*

℞. *Fol. Malv., Scabioſ. a. m. ij.,*

Cæpam unam, radic. Irid. unc.ſs., ſem. Senap. unc.j., Limac. n.x., axungiæ Suillæ unc.iiij., Theriac., & Mitrid. a. unc.j., Croci drac.j., ſ. a. f. Emplaſtrum.

Vel

℞. *Cæpam albam Theriac. repletam, & ſub cineribus coctam, fol. Scabioſ., Malv., Lapat. acut. a. m.j., farin. Tritici, Ferment. vet. a. unc.j., Ficuum n. vj., olei Lilior. alb., & ſem. Lini a. unc.j. ſs., axungiæ Suillæ, & Butiri a.unc.ij., omnia ſimul coquantur ad f. emplaſtri, cui add. unc.ij. Diachilon magn. cum. gum., utatur ſuprà Bubonem.*

Tali Cataplaſmatis, vel conſimilis uſu Bubonis maturatio, & ſuppuratio promovenda erit. Sin autem ejuſdem materia, & venenatus peſtilens humor lentè ad ipſum confluat, quod facillimè ex nullo ipſius incremento, imò ex ejuſdem intempeſtivâ detumeſcentia, majori ſymptomatum violentiâ, ac naturæ imbecillitate, vel oppreſſione argui poterit, tunc rebellis tantus hu-

mor

mor acriori, & fortiori attrahenti præſidio ad ipſum tumorem avocãdus erit. Hoc facilè obtineri poterit per cucurbitulæ ſuprà ipſum appoſitionem, & poſt ipſam primò *veſſicăti cerato*, aut *paſtâ*, indè *igne actuali* promptior veneni exitus tentandus erit, dum fruſtrà talis materiæ concoctio expectanda eſt, & citiùs peribit Æger, quàm ipſa concoquatur, idque præcipuè ſi in collo, & parotidibus appareat Bubo, dum ex retardata ejuſdem perfectâ expulſione, ſuffocationis periculum imminet.

Hùc maximè conferunt etiam omnia cataplaſmatum, digerentium, & ſuppurantium genera in antecedenti capite de Carbunculis deſcripta; quibus addendus nunc eſt uſus *Cerati Magnetici Arſenicalis* ab Artmano ſequenti formâ elaborati, quod à ſingulis, & præcipuè à Neotericis pro contumaci attrahendâ tumorum materiâ mirum ſanè in modum extollitur.

En ejuſdem Deſcriptio.

℞. *Antimon. crudi, Sulph. flavi, Arſenic.alb. a.unc.ij., ſubtiliſ. pulver.,*

& in phiola repoſ. ſepeliantur in Arenâ, ſubminiſtretur ignis, donec colliqueſcant, & colorem rubeum ſubobſcurum induant. Vaſe refrigerato extrahe materiam, quæ vocatur Magnes Arſenicalis, de quo benè refrigerato, Rec. unc. ij., Gummi ſagapen., Amon., galban. a. unc. iij., Terebinth. coctæ, Ceræ virgin. an. unc. iiij ſs., ol. Succin. unc. i. ſs. terræ Vitriol. dulcific. unc. i., rad. Aron. pulv. unc. i. gummata diſſol. in Aceto ſcillitico per linteam. exprim., bull. indè ad conſiſt., & ſ. a ſ. Cerat., de quo applicetur portio ſuprà Bubonem.

Talis pariter Magnetica qualitas à prędicto Hartmano, Paracelſo, aliiſque quàm plurimis, *Bufoni exſiccato* traditur, à quo pluries renovato, peſtilens venenum à Bubone, aut Carbunculo attrahitur.

Foreſtus talem extrahendi vim ipſis *Ranis* tribuit; imò earum uſus ità commendatur, ut una ſemper viva ſuper Bubonem apponatur, donec mortua ſit, & tot ſubſtituantur, donec una viva remaneat, tunc enim venenum remotum fuiſſe indicatur. Pro

Pro Pauperibus.

Alij, B*utirum cum Terebinth. calidè ſuperpoſitum*, alii *Mel crudum cum Farina tritici*, alii *vitell. Ovor. cum* Butiro *in aqua ſæpiùs loto*, & *conquaſſat.*, & alii *vitell. Ovor. cum Saccharo*, & *Croco*, vel *foliis* Bra*ſſicę*, *Ol. Rapar. iniunctæ* commendant.

Alii demùm, *ſtercus Gallinarum cum albumine Ovi diſſolutum*, & alii *ſequentem emplaſtri formam præſcribunt.*

℞. *Ferment. unc. ſs. Raphani benè triti unc. i., Allij aſſi drac. i. ſs., Ther. drac. iii. miſceantur opt. ſimul*, & Bu*boni applicentur.*

Quod ſi tandem vel per ſuppurationem, vel arte aperiatur Bubo, digeſtivum in inciſionis loco ſubſtituendum erit *ex Terebinth.*, *vitel. Ovor.*, & *ol. roſat.*

Vel

℞. *Schordii opt. pulver. drac. ii., vitell. Ovor. n. i., Terebinth., mel, Ung. Apoſtol. a. unc. ſs. m. utatur ut ſuprà.*

Ab aliis B*alſam. Sulph. cum Terebinth.*

binth. præparat., ab aliis *ungu.*Baſilic., & demum ferè innumera *Topicorum* genera collaudantur, quæ brevitatis gratiâ omitto, dum ſingula ab eximia Chirurgorum peritiâ, iis præcipuè temporibus ſummè neceſſariâ, fuſiùs præſcribentur; ſolùm mihi innuendum ſupereſt, quòd Ulcus citò non claudatur, ſed diutiùs apertum ſervetur, ut quidquid peſtilentis veneni ineſt in Corpore, educatur.

CAPUT VIII.

De Febris Curatione tempore Peſtis.

CElebrem, & antiquiſſimam Auctorum Diſceptationem, utrùm ſcilicet de *Peſtis eſſentiâ ſit Febris*, an ejuſdem *ſymptoma*, dirimere, meum ſanè non eſt, eòque magis quia Curationis methodus non immutatur; cùm enim de peſtilenti conſtitutione diſſerere unicum hujuſce opuſculi munus ſit,

ſit, hinc Febris curationem inſtituendo, nil de alia diſſerendum occurrit, quàm de illa, quæ peſtilenti tempore graſſatur. Hoc autem diſtinguendum tantùm eſt, quòd nomine *Febris peſtilentialis*, maligna etiam ſubintelligi poteſt, ut ſæpiſſimè peſtilentialis quoque, propter nonnullam ingeniti, & occulti veneni intenſionem, denominatur. De hac autem non diſſero, quia cum abſque ullo Aeris inquinamento, & vitio, ſed à ſolâ malignâ humorum indole procedat, neque cõtagiosè communicetur, hinc verè *peſtilens Febris* non eſt nuncupanda; Quæ enim in Peſte excitatur, *Epidemica*, *Contagioſa*, & *Pernicioſiſſima* dicitur. Quod propriè de peſtilentibus ſæpiſſimè graſſantibus febribus dici nequit, & hujuſmodi ſanè extiterunt, quæ ab anno 1677. uſque ad 1683. Ciaraſcenſem Urbem Patriam meam lugubri Funerum Cataſtrophe devaſtarunt; Illæ verò quamvis perniciosiſſimæ, & ratione occultæ malignitatis, quamvis peſtilẽtiales noncupari potuiſſent, cùm tamen non ab

Aeris labe, ſed à ſola humorum intenſiſſima putredine productæ fuerunt, hinc *veræ peſtilentes* non fuerunt, neque peſte concomitatæ. Optimè enim diſtinguenda eſt malignitas ab ipſo veneno, ut mirificè docet Sennertus *in lib.6. prac. p.2. cap.1. pag. mihi* 988. ubi Febres peſtilentes, & malignas eas vocat, in quibus morbus non excitatur ſine putredine, nec tanta veneni malignitas eſt, ut abſque humorum putreſcentia Homini nocere valeat. Peſtis è contrà abſque ullo adminiculo per ſe Homines jugulat, vel ſaltem interficere poteſt, & ſi Aerei venenati miaſmatis intenſio adeò violenta non eſt, ut inducias ſinat, cùm præter Cor, totam liquidorum maſſam inquinet, ità non mirum ſi Febris oriatur.

Quòd autem inter Peſtis ſymptomatum Curationem, Febrem recenſeam, nihilque de ea hucuſque exaraverim, id in cauſa fuit, quod non ſemper Peſtis cùm illa ſocietur, dum quamplurimæ peſtium Illiades ſunt, in quibus abſque ea, Ægri peribant,

undè

undè de peſtis eſſentia dicenda non eſt, ſed tantùm ejuſdem ſymptoma, dum nil aliud nomine eſſentię intelligendum eſt, niſi id, quòd neceſſariò ad illud requiritur, eodem ferè pacto, quo abſque lateris dolore, febre, & ſputo cruento, nulla ut plurimùm ſequitur Pleuritis, quia talis dolor, febris, & ſanguineus excreatus Pleuritidis eſſentiam conſtituunt, neque abſque iis illa nuncupari poteſt. Si ergò de peſtis eſſentia Febris dici nequit, quia abſque Febre ponitur peſtis, ut inter quamplurimos teſtatur Hippocr. 3. *Epid.* dicens, *his adiuncta aliquando erat Febris, aliquando non erat*, Gal. *in com.*3. *Epid. ſect.*3. Foreſtus *in lib.*6. *de morbis Epidemicis obſerv.*10: *pag. m.* 164., Maſſaria *lib.* 1. *de peſte pag. m.* 493., & *ſequentibus* prædictus Sennertus *lib.*2. *de Febribus cap.*1. *pag. m.* 791., nec non Diemerbroeck in *lib.*1. *cap.*12., *pag.*106., ubi Febrium peſtilentium ab ipſa Peſte differentias tradit, & in *lib.*4. in plurimis, imò ferè ſingulis Ægrotantium Hiſtoriis confirmat; hinc

hinc pro ejuſdem Curatione non alia requiritur methodus, ac ea, quam pro peſte ſuperiùs deſcripſi.

Nil igitur de Venæ ſectione, ac purgatione diſſerendum ſupereſt, prout ab ipſa peſte contraindicantur. Verùm ſi abſque ullo peſtilenti ſymptomate, ac præcipuè Carbunculo, Bubone, Maculis, &c. ſola Febris invadat cum ingenti capitis dolore, Æſtu, Uteri, vel Hæmorroidum ſuppreſſione, aliiſque in vegeta Ætate, & virium robore phlebotomiam indicantibus ſignis, tunc moderatâ quantitate, & in ipſo morbi principio interdum inſtitui poterit, quamvis ſummâ nonniſi cum cautelâ ab ejuſdem indicationibus evinci debet Medicus, dum hujus prudentiſſimum munus eſt, ut ſuperiùs jam protuli, peſtilenti ſæviente conſtitutione, quolibet ſuperveniente morbo, ne ab eodem peſtilentiæ fonte prodeat, eamdemque venenatam qualitatem præſeferat pertimeſcere.

Idem planè de Purgatione dicendum, quæ nullò modo præſcribi debet, niſi

in

